

C III

oar. 3/007

SANCTORUM OFFICIA

COR-3/0007
1613602913

NOVISSIMA

Sauctorium Officia



ILERDÆ:
Edebat Laurentius Corominas.

1899

APPROBATIO

Cum Nobis constet, OFFICIA SANCTORUM NOVISSIMA ab anno 1884 usque nunc, visa et rite collata esse cum originalibus authenticis, et mendas ad calcem hujus opusculi adnotari, in quantum ad Nos spectat, concedimus licentiam editori D. Laurentio Corominas, ut fiant juris publici ad officia Sanctorum recitanda.

Datum Tlerdæ 8 Martii 1899.

Josephus, Episcopus Tlerdensis.



LECTORI:

Hoc fasciculo tibi in promptu erunt omnia Sanctorum, Beatorum ac Mysteriorum Officia, quæ a Sanctitate D. N. LEONIS Papæ XIII, ab anno 1884 præcepta vel indulta prodiere usque nunc, sive pro Ecclesia universalis, sive pro Hispanica ditione, Tarragonensi provincia, aut Diœcesi ista Ilerdensi.

Accedunt et aliqua, ut S. Ollegarii, ex. gr., quæ in Codicibus desiderantur; et novæ *Lectiones historicæ* auctæ vel emendatæ.

Ista sequentur ADDENDA ET VARIANDA in Rubricis Specialibus Breviarii Romani; ac idcirco DECRETUM S. R. C. 11 Decembris 1897.

Hæc pro tui commodo cedant, et quæ sparsim antea, nunc autem conjunctim habeto. Vale.

OFFICIA NOVISSIMA ADDENDA

BREVIARIO ROMANO

ET CODICI HISPANIE AC TARRACONENSIS PROVINCLÆ

"AB ANNO 1884 USQUE MODO.

DIE XVI. JANUARII.

*In Festa
S. MARCELLI,
Papæ et Mart.*

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

MARCELLUS Romanus, a Constantio et Galerio usque ad Maxentium Pontificatum gesit. Cujus hortatu Lucina Matrona Romana bonorum suorum Dei Ecclesiam fecit hæredem. Aucto in Urbe fidelium numero, ad eorum utilitatem, ad baptismum poenitentiamque dandam iis, qui christianam religionem susciperent, et ad Martyrum sepulturam, novos Titulos instituit, et quasi alteras dioeceses distribuit. Quibus rebus ira incensus Maxentius, Marcello gravia supplicia minatur, nisi deposito pontificatu, idolis immolare.

Lectio v.

Qui cum invanas hominis voces negligeret, misit eum in catabulum, ut bestiarum, quæ publice alebantur, curam sustineret. ubi Marcellus assiduis jejuniis et precibus novem intenses vitam duxit, parochias,

quas præsens non poterat, visitans per epistolæ. Inde eritus a clericis, hospitio recipitur a beata Lucina: in cuius ædibus Ecclesia in dedicavit, quæ hodie titulo sancti Marcelli nominatur; in qua et Christiani orabant, et ipse beatus Marcellus prædicabat.

Lectio vi.

QVISUS cognitis, Maxentius in eam Ecclesiam catabuli bestias transferri, et a Marcello custodiri jubet: ubi loci seditate, multisque ærumnis afflatus, obdormivit in Domino. Cujus corpus in cœmterio Priscillæ via Salaria a beata Lucina sepultum est decimo septimo Kalendas Februarii. Sedit annos quinque, mensem unum, dies viginti quinque. Scripsit epistolam ad Episcopos Antiochenæ provinciæ de primatu Romanæ Ecclesiæ, quam caput Ecclesiarum appellandam demonstrat. Ubietiam illud scriptum est nullum Concilium jure celebrari, nisi ex auctoritate Romani Pontificis. Ordinavit mense Decembri Romæ Presbyteros viginti quinque, Diaconos duos, Episcopos per diversa loca viginti unum.

Sanctæ Familiæ

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

*In Festo Sanctæ Familiæ
JESU, MARIAE, JOSEPH.
Duplex majus.*

*In I. Vesperis.**Antiph. I.*

JACOB autem genuit Joseph vi-
rum Mariæ, de qua natus est
Jesus, qui vocatur Christus.

*Ps. ut in Festis B. Mariae
V. per annum.*

2. Angelus Domini apariuit
in somnis Joseph, dicens: Jo-
seph fili David, noli timere
accipere Mariam conjugem
tuam: quod enim in ea natum
est, de Spiritu sancto est.

3. Pastores venerunt fe-
stinantes, et invenerunt Ma-
riam, et Joseph, et Infantem
positum in præsepio.

4. Magi intrantes domum
invenerunt Puerum cum Maria
Matre ejus.

5. Erat Pater ejus et Mater
mirantes super his, quæ dice-
bantur de illo.

Capitulum. Lucæ 2.

DESCENDIT Jesus cum Maria
et Joseph, et venit Naz-
areth, et erat subditus illis.

Hymnus.

O lux beata cœlitum
Et summa spes mortalium,
Jesu, o cui domestica
Arrisit orto caritas:
Maria dives gratia,
O sola quæ casto potes

Fovere Jesum pœclore,
Cum lacte donans oscula:
Tuque ex vetustis patribus
Delecte custos Virginis,
Dulci patris quem nomine
Divina Proles invocat:

De stirpe Jesse nobili
Nati in salutem gentium,
Audite nos qui supplices
Vestrar ad aras sistimus.
Dum sol redux aij vesperum
Rebus nitorem detrahit,
Nos hic manentes intimo
Ex corde vota fundimus.

Qua vestra sedes floruit
Virtutis omnis gratia,
Hanc detur in domesticis
Referre posse moribus.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sœcula.

Amen.

v. Verbum caro factum
est, alleluja. R. Et habitavit
in nobis, alleluja.

Ad Magnis. Ant. Beati qui
habitant in domo tua, Domine:
in sœcula sœculorum lauda-
bunt te.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui
Mariæ et Joseph subditus,
domesticam vitam ineffabili-
bus virtutibus consecrasti: fac
nos, utriusque auxilio, Fami-
liae sanctæ tñæ exemplis in-
strui; et consortium consequi
sempiternum: Qui vivis.

Et fit commem. Dominicæ.
Ant. Suscepit Deus Israël
puerum suum: sicut locutus

Sanctæ Familiæ

est ad Abraham, et semen ejus:
exaltare humiles usque in sæ-
culum.

v. Vespertina oratio a-
scendat ad te Domine. R. Et
descendat super nos misericor-
dia tua.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus,
Infirmitatem nostram pro-
pitius respice: atque ad pro-
teendum nos dext̄ram tuæ
majestatis extende. Per Domi-
num.

Ad Matutinum.

Invitat. Christum Dei Fi-
lium, Mariæ et Joseph subdi-
tum, * Venite adoremus.

Ps. Venite, exultemus.

Hymnus.

SACRA jam splendent decorata
lychnis
Templa, jam sertis redimitur
ara,
Et pio fumant redolentque
aceræ

Thuris honore.

Num juvet Summo Geniti
Parente

Régios ortus celebrare cantu?

Num dominus David, decora et
vetuste

Nomina gentis?

Gratius nobis memorare
parvum

Nazaretum, tenuemque cil-
lum,

Gratius Jesu tacitam referre
Carmine vitam.

Nili ab extremis peregrinus
cris,

Angeli ductu, propere remi-
grat

Multa perpessus Puer, et pa-
terno

Limine sospes,
Arte, qua Joseph, humili
excolendus

Abdito Jesus juvenescit ævo,
Seque fabrilis socium laboris
Adjicit ultro.

Irriget sudor mea membra,
dixit,

Antequam sparso madeant
cuore:

Hæ quoque humano generi
expiando

Pœna luatur.

Assidet Nato pia Mater
almo,

Assidet Sponso bona nupta;
felix

Si potest curas relevare fassis
Munere amico.

O, neque expertes operæ
et laboris,

Nec mali ignari, miseros ju-
vate,

Quos reluctant per acata re-
rum

Urget egestas:

Demite his fastus, quibus
ampla splendet

Faustitas, mentem date rebus
æquam:

Quotquot implorant columen,
benigno

Cernite vultu.

Sit tibi, Jesu, decus atque
virtus,

Sancta qui vitæ documenta
præbès,

Quique cum summo Genitore

et almo
Flamine regnas.
Amen.

In I. Nocturno.

Ant. Cum inducerent puerum Jesum parentes ejus: accepit eum Simeon in ulnas suas, et benedixit Deum.

Ps. Do nunc Dominus noster. ut in Festis B. M. V. per annum.

Ant. Ut perficerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilæam in civitatem suam Nazareth.

Ant. Puer autem crescebat et confortabatur plenus sapientia, et gratia Dei erat in illo.

v. Propter nos egeaus factus est cum esset dives.

R. Ut illius inopia nos dicitur essemus.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

Lectio I. Cap. 3.

*I*NSUITE vos ergo sicut electi Dei, sancti et dilecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam: supportantes invicem, et donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam: sicut et Dominus donavit vobis, ita et vos. Super omnia autem haec, caritatem habete, quod est vincu-

lum perfectionis: et pax Christi exsultet in cordibus vestris, in qua et vocati estis in uno corpore: et grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter, in omni sapientia, docentes et commonentes vobis metipsos psalmis, hymnis, et canticis spiritualibus in gratia cantaentes in cordibus vestris Deo.

R. In terris visus est,* Et cum hominibus conversatus est. *v.* Hic adiuvavit omnem viam discipline et tralidit illam Jacob pueru suo. Et cum.

Lectio II.

*O*NNE quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini Jeu Christi gratias agentes Deo et Patri per ipsum. Mulieres, sublite estote viris, sicut oportet, in Domino. Viri, diligite uxores vestras, et nolite amari esse ad illas. Filii, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est in Domino. Patres, nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fliant.

R. Beati qui habitant* In domo tuae Domine. *v.* In saeula sacerdorum laudabunt te. In domo.

Lectio III.

*S*ERVI, obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculum servientes, quasi ho-

Exp. in Ps. 36. et 61.

minibus placentes; sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Dominus, et non hominibus: scientes quod a Domino accipietis retributionem haeditatis. Domino Christo servite. Qui enim injuriam facit, recipiet id quod inique gessit: et non est personarum acceptio apud Deum. Domini, quod justum est et aequum, servis praestates: scientes quod et vos Dominum habetis in celo. Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.

R. Debuit per omnia fratribus assimilari.* Ut misericors fieret. *v.* Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quae passus est, obedientiam. Ut Gloria Patri. Ut.

In II. Nocturno.

Ant. Consurgens Joseph accepit puerum et matrem ejus nocte, et secessit in Aegyptum.

Ant. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph in Aegypto dicen: Surge et accipe puerum et matrem ejus, et vade in terram Israël.

Ant. Et veniens habitavit Nazareth, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetas: quoniam Nazareus vocabitur.

v. Docebit nos Dominus vias suas. *R.* Et ambulabimus in semitis suis.

Lectio IV.

De Sermone S. Ambrosii Episcopi.

*S*UBDITUS esto Domino, et obsecra eum. Christus faciendo voluntatem Patris, legem implevit. Et ideo finis est legis et plenitudo est caritatis; quia diligens Patrem, affectum omninem ejus adhibuit voluntati. Denique pro pietate erat non pro infirmitate Joseph et Maria parentibus subditus. Suscepit itaque compassionem nostram, suscepit et subjectionem. Quod enim subjecit sibi omnia suum est: quod subjectus est, nostrum est. Anima, inquit, subdita non divinitas, anima subjecta, non Dei virtus. Per ipsam ergo obedientia, per ipsam humilitatem: quae tamen non ad infirmitatem potentiae suscepta sunt, sed ad magisterium discipline.

R. Ego autem mendicus sum et pauper: * Dominus sollicitus est mei. *v.* Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit, Dominus.

Lectio V.

*Q*UASI homo ergo ex his, quae passus est, dilicit obedientiam, ut consummaretur in carne et per obedientiae transfiguram in nos successione in causa fieret nobis salutis æternæ, quibus ante per inobedientię hæreditatem primus ille Adam causa factus est mortis. Subiectio ergo magisterium virtutis.

tis humanæ, non divinae immunitio potestatis est. Nam si illum minorem Filium et inæqualem Patri dicunt, quia erat subditus Patri Deo; numquid et matre ideo minor, quia subditus erat matri? Lectum est enim de Joseph et Maria: et erat subditus illis. Sed pietas omnibus nobis non dispendio, sed incremento est; per quam omnibus nobis Dominus Jesus fidem infudit et gratiam, ut nos spiritu fidei sudditos Patri faciat Deo.

R. Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, * Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. v. Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea. Filius autem.

Lectio VI. Ibid. in Ps. 65.

DENIQUE, si consideremus, in paradiſo defecit humilitas, et ideo venit de cœlo. In paradiſo orta est inobedientia, et ideo obedientia cum Salvatore descendit. Inflabatur caro, unde subjectio mansuetudinis inveniri non poterat in terris. Veniens Dominus Jesus primum se exinanivit, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, formam servi sibi accipiens, et specie inventus ut homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Dicat ergo: juvenis sum et despectus: quia Christus in

paupere atque despecto mundum redemit, quia Christus humiliavit diabolum vicit.

R. Cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit * Formam servi accipiens. v. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem. Formam. Gloria Patri. Formam.

In III. Nocturno.

Ant. Ibant parentes Jesu per omnes annos in Jerusalēm in die solemni Paschæ.

Ant. Cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalēm, et non cognoverunt parentes ejus.

Ant. Non invenientes Jesum, regressi sunt in Jerusalēm, requirentes eum.

v. Pauper sum ego et in laboribus a juventute mea. R. Exaltatus autem humiliatus sum, et conturbatus.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 2.

CUM factus esset Jesus annorum duodecim, ascendentibus illis Jerosolimam secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer Jesus in Jerusalēm, et non cognoverunt parentes ejus. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

Homil. i. supra Missus est.

Erat subditus illis. Quis quibus? Deus hominibus? Deus, inquam, cui Angeli subditi sunt, cui Princeps et Potestates obediunt, subditus erat Mariæ, nec tantum Mariæ, sed etiam Joseph propter Mariam. Mirare ergo utrumlibet, et elige quid amplius mireris, sive Filii benignissimam dignationem, sive parentum excellentissimam dignitatem. Utrinque stupor, utrinque miraculum: et quod Deus homini obtemperet, humilitas absque exemplo: et quod Deo homo principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur quod sequuntur Agnum quocumque ierit. Quibus ergo laudibus judicas dignum, qui etiam præit?

R. Vere tu es Rex absconditus * Deus Israël Salvator. v. Tu doces hominem scientiam. Deus.

Lectio VIII.

Disce, homo, obediens; disce, terra, subdi; disce, pulvis, obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista. Et erat, inquit, subditus illis: haud dubium quin Mariæ et Joseph. Erubescere, superbe cinis! Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu, dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori?

Quoties enim hominibus praesse desidero, toties Deum præire contendō: et tunc vere non sapio ea quæ Dei sunt. De ipso namque dictum est: Et erat subditus illis. Si hominis, o homo, imitari dedignaris exemplum, certe non erit tibi indignum sequi auctorem tuum. Si non potes forsitan sequi eum quocumque ierit, dignare vel sequi quo tibi condescendit.

R. Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: * Ita et per unius obeditionem justi constituentur multi. v. Venit Nazareth et erat subditus illis. Ita. Gloria Patri. Ita.

Lectio IX. de Homilia Dominicæ: si vero transferatur, erit.

Lectio IX.

Sed non potes sublimem inceditare semitam virginitatis, sequere vel Deum per tutissimam viam humilitatis: a cuius rectitudine si qui etiam virgines deviaverint, ut verum fatear, nec ipsi sequuntur Agnum quocumque ierit. Sequitur quidem Agnum coincinatus humiliis, sequitur et virgo superbus, sed neuter quocumque ierit; quia nec ille ascendere potest ad inuiditiam Agni, quia sine macula est; nec is ad ejusdem mansuetudinem descendere dignatur,

quia scilicet non coram tondente, sed coram occidente se obmutuit. Attamen salubrio rem elegit sequendi partem in humilitate peccator, quam in virginitate superbus: cum et illius immunditiam sua humili satisfactio purget, et hujus pudicitiam superbia inquiet.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes
et per Horas

Ant. 1. Post triduum * in venerunt Iesum in templo se dentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem eos.

Ps. Dominus regnavit. cum reliqu. de Dominicâ.

2. Dixit mater Iesu ad illum: * Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te.

3. Descendit Jesus cum eis, * et venit Nazareth, et erat subditus illis.

4. Et Jesus proficiebat * sapientia et ætate et gratia apud Deum et homines.

5. Et dicebant: * unde huic sapientia hæc, et virtutes? Nonne hic est fabri filius?

Capitulum. Lucæ 2.

*D*ESCENDIT Jesus cum Maria et Joseph, et venit Nazareth, et erat subditus illis.

Hymnus.

O gente felix hospita Augusta sedes Nazaræ,
Quæ fovit alma Ecclesiæ
Et protulit primordia.
Sol, qui pererrat aureo
Terras jacentes lumine,
Nil gratius per sœcula
Hac vidit aede, aut sanctius.

Ad hanc frequentes con volant

Cœlestis aulæ nuntiij,
Virtutis hoc sacrarium
Visunt, revisunt, excolunt.

Qua mente Jesus, qua manu,
Optata patris perficit!
Quo Virgo gestit gaudio
Materna obire munera!

Adest amoris particeps
Curæque Joseph conjugi,
Quos mille jungit nexibus
Virtutis auctor gratia.

Hidilgentes invicem
In Jesu amorem confluent,
Utrique Jesus mutuæ
Dat caritatis præmia.

Sic fiat, ut nos caritas
Jungat perenni fœdere,
Pacemque alens domesticam
Amara vitæ temperet!

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sœcula. Amen.

V. Ponam universos filios
tuos doctos a Domino. R. Et
multitudinem pacis filii tuis.

*Ad Bened. Ant. Illuminare
nos, Domine, exemplis fami
liae tuæ, et dirige pedes nos
tros in viam pacis.*

Oratio.

DOMINE Iesu Christe, qui
Marie et Joseph subditus,
domesticam vitam ineffabili
bus virtutibus consecrasti: fac
nos, utriusque auxilio, Familiæ
sanctæ tuæ exemplis instrui;
et consortium consequi sem
piternum; Qui vivis.

Et fit Commem. Dominicæ.

Ant. Cum descendisset Je
sus de monte ecce leprosus ve
niens adorabat eum, dicens:
Domine, si vis, potes me mun
dere: et extendens manum,
tetigit eum, dicens: Volo, mun
dere.

V. Dominus regnavit, de
corem induit. R. Induit Domini
nus fortitudinem, et praecin
xit se virtute.

Oratio.

OMNIPOTENS sempiterne Deus,
infirmitatem nostram pro
pitius respice; atque ad prote
gendum nos dexteram tuae
majestatis extende. Per Do
minum.

Ad Primam.

*In R. br. Qui natus es de
Maria Virgine.*

Ad Tertiam.

Capit. Descendit Jesus, ut
supri ad Laudes.

R. br. Propter nos egenus
factus est: * Cuius esset dives.
Propter. V. Ut illius inopia nos
divites essemus. Cum esset.
Gloria Patri. Propter.

V. Docebit nos Dominus
vias suas. R. Et ambulabimus
in semitis ejus.

Ad Sextam.

Capitulum. Rom. 5.

SICUR per inobedientiam
unius hominis peccatores
constituti sunt multi, ita et per
unius obediendum justi con
stituentur multi.

R. br. Docebit nos Domi
nus * Vias suas. Docebit. V. Et
ambulabimus in semitis ejus.
Vias suas. Gloria Patri. Doce
bit nos.

V. Pauper sum ego et in
laboribus a juventute mea. R.
Exaltatus autem, humiliatus
sum, et conturbatus.

Ad Nonam.

Capitulum. Philipp. 2.

SEMETIPSUM exinanivit for
mam servi accipiens, in
similitudinem hominum ta
ctus et habitu inventus uthomo.

R. br. Pauper sum ego et in
laboribus * A juventute mea.
Pauper. V. Exaltatus autem,
humiliatus sum, et conturbatus.
A juventute. Gloria Patri.
Pauper sum.

V. Ponam universos filios

tuos doctos a Domino.

R. Et multitudinem pacis filii tuis.

In II. Vesperis.

Ant. de Laudibus. Ps., Capit. et Hymn. ut in I. Vesperis.

¶. Ponam universos filios tuos doctos a Domino.

R. Et multitudinem pacis filii tuis.

Ad Magnif. Ant. Maria autem conservabat omnia verba haec conferens in corde suo.

Et fit commem. Dominicæ.

Ant. Domine, si vis, potes me mundare: etait Jesus: Volo, mundare.

¶. Dirigatur Domine oratio mea. R. Sicut incensum in conspectu tuo.

Oratio. Omnipotens semperne Deus. ut supra. 17.

DIE XI. FEBRUARII.

In Festo

*SS. SEPTEM FUNDATORUM
Ordinis Servorum B. M. V.
Duplex.*

*Omnia de Communi Conf.
non Pont. præter sequentia.*

Ad Vesperas.

Capitulum. I. Petr. 4.

CARISSIMI: Communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloria ejus gaudetatis exsultantes.

Hymnus.

BELLA dum late furerent et
urbes
Cæde fraterna gemerent cruentæ,

Adfuit Virgo, nova semper
edens

Munera matris.

En vocat Septem Famulos,
fideles

Utsibi in luctu, recolant dolores,

Quos tulit Jesus, tulit ipsa consors

Sub cruce Nati.

Illico parent Dominæ vocanti:
Splendidis tectis opibusque
spretis,

Urbe secedunt procul in Senari.

Abdita montis.

Corpora hic fœnis cruciant acerbis,

Sontium labes hominum piantes:

Hic prece avertunt lacrymisque fusis

Numinis iram.

Perdolens Mater fovet, atque
amictum

Ipsa lugubre monet indumentum:

Agminis sancti pia cœpia sur-

gunt,

Mira patescunt
Palms in bruma viridans ho-

nores

Nuntiat patrum: proprio Mariæ

Ore lacenti vocitant puelli
Nomine Servos.

Sit decus Patri, genitæque Proli,

Et tibi, compar utriusque Vir-

tus,

Spiritus semper, Deus unus,
omni

Temporis ævo.

Amen.

v. Hi viri misericordiae sunt,
quorum pietates non defuerunt.

R. Semen eorum, et gloria
eorum non derelinquetur.

Ad Magnif. Aña. Non re-

cedet laus tua, Virgo Maria,
de ore hominum, qui memo-

res fuerint virtutis Domini in
æternum, pro quibus non pe-

percisti animæ tuae.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

SIC patres vitani peragunt

Sin umbra,
Lilia ut septem nivei decoris,

Virginis excelsæ bene grata,
Petro

Visa nitere.

Janque divina rapiente flam-

ma,
Cursitant urbes, loca quæque

oberrant,
Si queant cunctis animis do-

lores

Figere Matris.

Hinc valent iras domuisse

cæcas,

Nescia et pacis fera corda jun-

gunt,

Erigunt mœstos, revocant no-

centes

Dicta piorum.

At suos Virgo comitata servos
Evehit tandem superas ad oras:
Gemmeis sertis decorat per
ævum

Omne beatos.

Eja nunc cœtus gemitum pre-

cantis

Audiant, duros videant la-

bores:

Seimper et nostris faveant be-

nignio

Lumine votis.

Sit decus Patri, genitæque

Proli,

Et tibi, compar utriusque Vir-

tus,

Spiritus semper, Deus unus
omni

Temporis ævo.

Amen.

In j. Nocturno Lectiones
Laudemus viros gloriosos, de
Comm. Conf. Pont. ij. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SÆCULO tertio decimo, quum Friderici secundi diro schismate, cruentisque factionibus cultiores Italiæ populi scindenterunt, providens Dei misericordia præter alios sanctitate illustres, septem e Florentina nobilitate Viros suscitavit, qui in caritate conjuncti, præclarum fraternali dilectionis præberent exemplum. Hi, nimis Bonifilius Monaldius, Bonajuncta Manettus, Manetus Antellensis, Amideus de Amideis, Uguccio Uguccionum, Sostenus de Sostenis et Ale-

xius Falconerius, quum anno trigesimo tertio ejus saeculi, die sacra Virgini cœlo receptæ, in quadam piorum hominum conventu, Laudantium nuncupato, ferventius orarent; ab eadem Deipara singulis apparetente sunt admoniti, ut sanctius perfectiusque vitæ genus amplecterentur. Re itaque prius cum Florentino præsule collata, hi septem Viri, generis nobilitate divitiisque posthabitatis, sub vilissimis detritisque vestibus cilicio induiti octava die Septembribus in ruralem quamdam aediculam secessere, ut ea die primordia vitæ sanctioris auspicarentur, qua ipsa Dei Genitrix mortaliibus orta sanctissimam vitam incepérat.

R. Honestum fecit.

Lectio v.

Hoc vitæ institutum quam sibi foret acceptum Deus miraculo ostendit. Nam quum paulo deinceps hi septem Viri per Florentinam urbe ostiam eleemosynam emendarent, accidit ut repente infanticium voce, quos inter fuit sanctus Philippus Benitus quintum ætatis mensem vix ingressus, Beatae Mariæ Servi acclamarentur: quo deinde nomine semper appellati sunt. Quare vi-tandi populi occursus ac solitudinis amore ducti, in Senarii montis recessu omnes convenere, ibique cœlestè quo-

dam vita genus aggressi sunt. Victabant enim in speluncis, sola aqua herbisque contenti; vigiliis aliisque asperitatibus corpus atterebant: Christi passionem ac mortis ejusdem Genitricis dolores assidue meditantes. Quod quum olim sacra Paracceves die impensis exsequerentur, ipsa Beata Virgo illis iterato apprens, lugubrem vestem, quam induerent, ostendit, sibique acceptissimum fore significavit, ut novum in Ecclesia regularem Ordinem excitarent, qui jugem recoleret ac promoveret memoriam dolorum, quos ipsa pertulit sub cruce Domini. Hæc sanctus Petrus, in clytus Ordinis Prædicatorum Martyr, ex familiari cum sanctis illis Viris consuetudine ac peculiari etiam Deipara visione quum dicisset; iis auctor fuit, ut Ordinem Regularem sub appellatione Servorum Beatae Virginis instituerent: qui postea ad Innocentio quarto Pontifice Maximo approbatus fuit.

R. Amavit eum.

Lectio vi.

PORRO sancti illi Viri, quum plures sibi socios adjunxisserint, Italiae, civitates atque oppida præsertim Etruria, excurrere coeperunt, prædicantes ubique Christum Crucifixum, civiles discordias compescentes, et innumeros fere devios ad virtutis semitam revocantes. Ne-

que Italianum modo, sed et Galliam, Germaniam ac Poloniam suis evangelicis laboribus excoluerunt. Denique quum bonum Christi odorem longe latèque diffudissent, portentorum quoque gloria illustres, migrarunt ad Dominum. Sed quos unus veræ fraternitatis ac religionis amor in vita sociaverat, unum pariter demotuos contexit sepulcrum, unaque populi veneratio prosecuta est. Quapropter Clemens undecimus et Benedictus decimus tertius Pontifices Maximi delatum iisdem a pluribus saeculis individuum cultum confirmarunt: ac Leo decimus tertius, approbatis antea miraculis, post indultam venerationem ad collectivam eorumdem invocationem a Deo patratis, eosdem anno quinquagesimo Sacerdotij sui Sanctorum honoribus cumulavit, eorumque memoriam Officio ac Missa in universa Ecclesia quotannis recolendam instituit.

R. Iste homo.

In iii. Nocturno Homilia in Evang. Ecce nos reliquimus omnia de Communi Abbatum.

AD LAUDES

Capitulum. i. Petr. 4.

CARISSIMI: Communicantes Christi passionibus gaudete ut et in revelatione gloriae ejus gaudeatis exultantes.

Hymnus

MATRIS sub almæ numine Septena proles nascitur: Ipsa vocante, ad arduum Tendit Senari verticem.

Quos terra fructus proferet
Dum sacra proles germinat,
Uvis repente turgidis
Onusta vitis præmonet.

Virtute claros nobili
Mors sancta cœlo consecrat:
Tenent olympi limina
Servi fideles Virginis.

Cohors beata, Numinis
Regno potita, respice
Quos hinc recedens fraudibus
Cinctos relinquis hostium.

Ergo, per almæ vulnera
Matris rogamus supplices,
Mentis tenebras disjice,
Cordis procellas comprime.

Tu nos, beata Trinitas,
Pertunde sancto robore,
Possimus ut feliciter
Exempla patrum subsequi.

Amen.

y. Sit memoria illorum in benedictione. R. Et ossa eorum pullulent de loco suo.

Ad Bened. Aña. Ecce quam bonum, et quam jucundum habitare fratres in unum.

Oratio.

DOMINE Jesu Christe, qui ad recolendam memoriam dolorum sanctissimæ Genitricis tuæ, per Septem beatos Patres nova Servorum ejus Familia Ecclesiam tuam fœundasti: concede prepitius; ita nos eorum consociari fletibus, ut per-

S. Ollegarii

fruamur et gaudiis; Qui vivis
et regnas.

IN II. VESPERIS.

*Omnia ut in primis, praeter
Ad Magnis. Aña. Nomen
eorum permanet in æternum,
permanens ad filios eorum,
sanctorum virorum gloria.*

DIA VI MARTII.

IN FESTO S. OLLEGARII

*Episc. et Conf.
Duplex.*

(In Prog. Tar.)

*Omnia de Comm. Conf.
Pont., praeter seq.*

Oratio

DEUS, qui animam beati Olegarii, Confessoris tui atque Pontificis, in caelis cum Christo regnante, et corpus in terris integrum illæsumque conservas: concede propitiis; ut, ejus intercessione, ita in hoc mundo vivamus, ut cum Christo in gloria regnare valeamus. Qui tecum.

In I. nocturno

Lectiones in Quadrag. Fidelis sermo, de Comm.; alias de Scriptura occurrente.

In II. nocturno

Lectio IV

O LLEGARIUS, sive Ildegaricus, Barcinone nobili genere

natus, adolescens clericali militia adscriptus ac sanctae Eulaliae, urbis patronae, canonicatu oblatus. liberalibus disciplinis ac pietatis operibus animum intendit. Sacris initiatus, ac Praepositi dignitate auctus, quo virtutes melius excoleret, ac Deo liberius inserviret, canonicorum regularium Lateranesium institutum est amplexus. Ubi cum religiosi hominis ornamentiis ac virtutibus excelleret, canocicis regendis admotus, regularem disciplinam mihi confidit. Mox ejus virtutum fama latius emanante, monasterii sancti Rusi in Provincia Abbas electus, ea prudentiae ac sanctitatis laude monasterium gessit, ut dominus illa spiritualibus cresceret incrementis. Factumque est, ut, defuncto in Balearica expeditio Raymundo Barcinonensi Antistite, cum de successore diligendo consuleretur, universi populi a Cleri suffragia Olegarium, qui forte tunc aderat, episcopum deposcerent. Vir Dei, pastorale onus invicta humilitate declinans, noctu clam aufugiens, in cenobium sancti Rusi se recepit. Verum Paschalis Secuadi Romani Pontificis (ad quem Comes in Italiam navigans deprecatores miserat) praecēpto in virtute sanctae obedientiae, cui cum omni humilitate paruit, per Cardinalem Besonem Legatum a latere, summa omnium gratulatione in thronum

S. Ollegarii

Barcinonensis Ecclesiae collo-
catur.

R. Inveni David.

Lectio V

FACTUS Episcopus cum morum castitate, verbi Dei praedicatione, atque ecclesiasticae inmunitatis zelo, Pastoris optimi partes impleret, ad suscipiendam quoque Tarraconensis Ecclesiae administrationem, civitate pridem e Maurorum servitute erupta, licet reluctans postulata. Navigans itaque Romanam ad sanctorum Apostolorum limina visitanda, et mox Cajetam, a Gelasio Secundo, qui Paschali successor erat, Archiepiscopus confirmatus, pallio accepto, cum ad suos jam esset reversus, Romanum iterum ad Lateranense Concilium a Callixto pariter Secundo accersit. Mox ingenti fidei ardore succensus, in Palaestinam trajiciens, cum loca sancta viseret, ac praesens veneraretur, a Jerosolymitano Patriarcha honorificentissime exceptus, plurimos praedicacione et exemplo ad Christianam fidem perduxit. Ad suam tandem Ecclesiam reversus, cum totum se ad cleri mores reformatos contulisset, iterata Synodorum celebratione, constitutis erga pauperes et nosocomia præcipue charitatis sanctissimis legibus, ecclesiasticam disciplinam vel restituit, vel firmavit.

R. Posui adjutorium.

Lectio VI

C UM autem ea tempora multis gravibusque dissensionibus inter proceres et regiones redundarent, Ollegarius, potens opere et sermone, dissidentes ad pacem atque concordiam magna ex parte revocavit. Quo in studio occupatus, cum Hispania pene tota schismati Petri Leonis adhaereret, Innocentium Secundum, Summum Pontificem, ad Claramontanum Concilium infracto animo procedens egregie adjuvit: dignus propterea quod et a sancto Bernardo Claravallensi abbatte summis laudibus celebraretur. Denique vir Dei, immensis laboribus exhaustus, cum jam ad Maurorum irruptiones arcendas Tarragonae civitati moenia extrui, ac primarium templum in honorem sanctae Thecla aedificari curasset, mortem sibi vicinam praenuntians, in morbum incidit; quo diutius afflatus, cum prurita humilitatis, patientiae et charitatis documenta praebuisset, Ecclesiasticis Sacramentis munitus inter lacrymas suspiriaque filiorum, beatum Deo spiritum reddidit pridie Nonas Martii anni millesimi centesimi trigesimi sexti. Post cujus mortem sanctus Vincentius Ferrerius praedicavit quoddam insigne miraculum, sub his verbis: Recitemus nunc miraculum de sancto Ollegario Episcopo. Quibus motus Clemens Decimus suam festivitatem sub

ritu duplci celebrati ac recitari indulsit. Ejus corpus incorruptum ad huc post quinque saecula in Cathedrali Barcinonensi jacet in quadam sepulcro marmoreo mirabili arte confecto, ubi honorificentissime colitur.

R. Iste est.

IN III NOCTURNO
Homil. in Evang. Homo peregre, de Communi.

DIE VII. MARTII.

S. THOMÆ DE AQUINO,
Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia de Communi Conf.
non Pont., præter sequentia.

Ad Magnificat in utrisque
Vesperis, Aña.

O Doctor optime, Ecclesiæ
sanctæ lumen, beate Thoma,
divinae legis amator, depre-
care pro nobis Filium Dei.

Oratio

DEUS, qui Ecclesiam tuam
beati Thomæ, Confessoris
tui, mira eruditione clarificas
et sancta operatione fœcundas:
da nobis, quæsumus, et quæ
docuit, intellectu conspicere,
et quæ egit, imitatione com-
plete. Per Dominum.

In j. Nocturno Lectiones,
Sapientiam. ut in Communi
Doctorum.

In secundo Nocturno

Lectio iv.

PRAECLARUM Christiani orbis
decus et Ecclesia lumen
beatissimus vir Thomas, Lan-
dulpho Comite Aquinate et
Theodora Neapolitana, nobili-
bus parentibus natus, futuræ
in Deiparam devotionis affe-
ctum adhuc infantulus ostendit.
Nam chartulam ad eo inven-
tam, in qua salutatio Ange-
lica scripta erat, frustra adni-
tente nutrice, compressa manu
valide retinuit, et a matre per
vim abreptam, ploratu et ge-
stu repetit, ac mox redditam
deglutivit. Quintum annum
agens, monachis sancti Bene-
dicti Cassinatibus custodiendus
traditur. Inde Neapolim stu-
diorum causa missus, jam
adolescens Fratrum Prædica-
torum Ordinem suscepit. Sed
matre ac fratribus id indigne
ferentibus, Lutetiam Parisiorum
mittitur. Quem fratres, in
itinere per vim raptum, in ar-
cem castri sancti Joannis per-
ducunt: ubi varie exagitatus, ut
sanctum propositum mutaret,
mulierem etiam, quæ ad la-
befactandam ejus constantiam
introducta fuerat, titione fuga-
vit. Mox beatus juvenis, flexis
genibus ante signum Crucis
orans, ibique somno correptus
per quietem sentire visus est
sibi ad Angelis constringi lum-
bos: quo ex tempore omni
postea libidinis sensu caruit.
Sororibus, quæ, ut eum a pio
consilio removerent, in ca-

strum venerant, persuasit, ut
contemptis curis sacerdibus,
ad exercitationem cœlestis vitæ
se conferrent.

R. Honestum fecit.

Lectio V.

MISSUS e castro per fene-
stram Neapolim reducitur:
unde Romam postea Parisum
a fratre Joanne Theutonico,
Ordinis Prædicatorum gene-
rali Magistro, ductus, Alberto
Magno doctore, philosophiæ
ac theologiæ operam dedit.
Viginti quinque annos natus
magister est appellatus, publi-
cèque philosophos ac theolo-
gos summa cum laude est in-
terpretatus. Numquam se lec-
tioni aut scriptioni dedit, nisi
post orationem. In difficultati-
bus locorum sacrae Scripturæ,
ad orationem jejunium adhi-
bebat. Quin etiam sodali suo
fratri Reginaldo dicere solebat
quidquid sciret non tam studio
aut labore suo peperisse,
quam divinitus traditum acce-
pisse. Neapoli cum ad imagi-
nem Crucifixi vehementius
oraret, hanc vocem audivit:
Bene scripsisti de me, Thoma:
quam ergo mercedem acci-
pies? Cui ille: Non aliam Do-
mine, nisi te ipsum. Collationes
Patrum assidue pervolutabat:
et nullum fuit scriptorum ge-
nus in quo non esset diligen-
tissime versatus. Scripta ejus
et multitudine, et varietate,
et facilitate explicandi res dif-
ficiles adeo excellunt, ut ubi-

rrima atque incorrupta illius
doctrina, cum revelatis veri-
tatibus mire consentiens, ap-
tissima sit ad omnium tempo-
rum errores pervincendos.

R. Amavit eum.

Lectio VI

A SUMMO Pontifice Urbano
Quarto Romam vocatus
ejus jussu ecclesiasticum lu-
cubabit officium in Corporis
Christi solemnitate celebran-
dum: oblatos vero honores, et
Neapolitanum Archiepiscopatu-
m, etiam deferente Clemente
Quarto recusavit. A prædicati-
one dijini verbi non desi-
stebat; quod cum faceret per
octavam Paschæ in Basilica
sancti Petri, mulierem, quæ
ejus fimbriam tetigerat, a flu-
xu sanguinis liberavit. Missus
a beato Gregorio Decimo ad
Concilium Lugdunense, in
monasterio Fosæ Novæ in mor-
bum incidit, ubi ægrotus Can-
tica Canticorum explanavit.
Ibidem obiit quinquagenarius,
anno salutis millesimo ducen-
tisimo septuagesimo quarto,
nonis Martii. Miraculis etiani-
mortuus clarius; quibus proba-
tis, a Joanne Vigesimo secundo
in Sanctorum numerum rela-
tus est, anno millesimo ter-
centisimo vigesimo tertio:
translato postea ejus corpore
Tolosam, ex mandato beati
Urbani Quinti. Cum sanctis
angelicis spiritibus non minus
innocentia quam ingenio com-
paratus, doctoris Angelici no-

men jure est adeptus, eidem auctoritate sancti Pii Quinti confirmatum. Leo autem Decimus tertius, libentissime excipiens postulationes et vota omnium pene Sacrorum Antistitum Orbis Catholici, ad tot præcipue philosophicorum systematum a veritate aberrantium luem propulsandam, ad incrementa scientiarum, et communem humani generis utilitatem. Eum, ex sacrorum Rituum Congregationis consulto per Apostolicas litteras celestem Patronum Scholarum omnium Catholicarum declaravit et instituit.

R. Iste homo perfecit.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Vos estis sal terræ. de Communi Doct. j. loco.

DIE XXIV. MARTII

**BEATI DIDACI JOSEPHI
A GADIBUS Conf.**

Duplex majus.

*Omnia de Communi Conf.
non Pont., præter sequentia.*

Oratio.

Deus, qui beatum Didacum Josephum Confesorem tuum scientia Sanctorum decorasti, et in salutem gentis suæ mirabiliter direxisti: ejus nobis intercesione concede; quæ pia, et recta sunt sapere, ut ad regnum gloriæ tuae felici-

citer perducamur. Per Dominum.

Lect. j. Nocturni. Justus, de Comm. j. loco.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

DIDACUS Josephus, antea Josephus Franciscus appellatus, Gadibus in Hispania, nobilibus, piisque parentibus natus est. Quam esset sanctimoniam laudem consequuturus, jam in puer conjectare licuit; noctu enim ad orandum surgebat, summoque mane ad templi fores aderat, ut ad aram Sacerdoti primus iuinistraret: corpusculum vero innocens flagris, et ciliciis cruciare veluti in deliciis habuit. Adolescens ob ingenii tarditatem aditu ad Ordinem Capuccinorum prohibitus, eo impedimento oratione, et contentione assidua superato, desiderii demum compos est factus, ac vita severioris Hispalitirocinium posuit, exigitque cum omnigenæ virtutis fama. Votis solemnibus nuncupatis, ac postmodum sacerdotio auctus, quo sanctiori vinculo Deo adhaerebat, eo ferventius regularum custodia, continuo precandi studio, suique acerrima afflictione ad perfectionis fastigium contendebat.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi cla-

ritatem æternam. ¶. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.—Et.

Lectio V.

APOSTOLICUM ministerium, A cui se gerendo imparem reputabat, ex obedientia suscepit. Moxque, divino Spiritu roboratus, Hispaniam universam obire aggressus est, pedestri semper itinere, tunica induitus obsoleta, cibi, ac potus abstinentissimus, nullis umquam laboribus fractus. Vicos, castella, urbes, studiorum universitates, regiam ipsam divini verbi prædicatione, vitæque sanctimonia ad pietatem illexit. Tempus omne a suggestu vacuum fidelibus per Penitentiæ sacramentum expiandis impendebat, pueris sacra catechesi erudiendis, nosocomiis, et carceribus visitandis. Noctes vero orando, meditandoque transigebat; quem si quando somnus occupabat, lectulum fessis artibus nuda humus præbēbat. Tanto virtutum splendore commotus undique populi ad illum confluabant, eo numero ut, cum templo capiendo non essent, Virum Dei sub diu concionari oporteret. Id autem fere contingebat, ubi Didacus de sanctissima Christi Matre diceret, vel de Trinitate augusta; beatissimam enim Virginem sub Paciferæ appellitione, ac Matris divini Pastoris mirifice cebat: de Trinitatis autem my-

sterio ea sublimitata loquebatur ut merito ejus mysterii Apostolus nuncuparetur.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ¶. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum.—Et.

Lectio VI.

DIDACI exhortationibus difficile dictu est, quod e perditionis via ad semitam salutis reducti sint, quot hæretici ad catholica dogmata traducti; quot similitates, atque odia restincta. Eo suadente, impii saepe codices conibusti, theatra vero obserata, vel funditus eversa. Tanti erat populorum in eum pietas, et reverentia, ut passim tamquam alter Paulus haberetur: quas tamen publici honoris significaciones ille demississimo animo excipiebat, non secus ac convicia, et insectationes, quibus identidem impetrabatur. Demum laboribus attritus, gravis incidit in morbum; cuius dolores cum patientisme tolerasset, Ecclesiæ sacramentis refectus, qua prædixerat die, anno millesimos octingentesimo primo, ætatis quinquagesimo octavo, Arundæ migravit ad Dominum. Eum virtutibus, miraculisque ilustrem Leo decimus tertius Pontifex maximus Beatorum fastis adscripsit.

R. Iste homo perfecit om-

nia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiet meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gestibus. v. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna.-Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. XII. d

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Nolite timere pusillus gressus, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Et reliqua. Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

Lib. 4. Cap. liv. in Luc. XII.

PUSILLUM gregem electorum, vel ob comparisonem majoris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem nominat: quia videlicet Ecclesiam suam quantalibet numerositate jam dilatatam, tamen usque ad finem mundi humilitate vult crescere, et ad promissum regnum humilitate pervenire. Ideoque ejus labores blande consolatus, quam regnum Dei tantum querere præcipit, eidem regnum a Patre dandum complacita benignitate promittit.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populi. v. Ecce homo sine qua-

rela, verus Dei cultur, abstinentis se ab omni opere malo, et permanens in innocentia suo.—Ipse.

Lectio VIII.

VENDITE quæ possidetis, et date eleemosynam. Nolite, inquit, timere, ne propter regnum Dei militantibus, hujus vitæ necessaria desint; quin etiam possessa propter eleemosynam vendite. Quod tunc digne sit, quando quis semel pro Domino suis omnibus spretis, nihilominus post hæc labore manuum, unde et victimum transigere, et eleemosynam dare queat, operatur. Unde gloriatitur Apostolus, dicens: Argentum aut aurum, aut vestem nullius concupivi: ipsi scitis, quoniam ad ea quæ mihi opus erant, et his qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipe infirmos.

R. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reveratur a nuptiis. v. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.—Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

FACITE vobis saccus qui non veteras: ut eleemosynas videlicet operando qua-

rum merces in æternum maneat. Ubi non hoc præceptum esse putandum est, ut nil pecuniae reservetur a sanctis, vel suis scilicet, vel pauperum usibus suggestrandæ: cum et ipse Dominus, cui ministrabant Angelii, tamen ad informandan Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, et a fidelibus oblati conservans, et suorum necessitatibus aliquæ indigentibus tribuens; sed ne Deo propter ista rserviatur, et ob inoptæ timorem justitia deseratur.

Te Deum laudamus.

DIE XXVII. MARTII.

S. JOANNIS DAMASCENI
Conf. et Ecclesiæ Doct.
Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter sequentia.

In Hymno. Iste Confessor. mutatur tertius versus.

In utrisque Vesperis, ad Magnificat. Aña. O Doctor optime Ecclesiæ sanctæ lumen beate Joannes, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

Oratio

OMNIPOTENS sempiterne Deus, qui ad cultum sacrarum imaginum adserendum beatum Joannem cœlesti doctrina et admirabili spiritus fortitudine imbuisti: concede nobis ejus intercessione et exemplo; ut quorum colimus imagines, virtutes initemur, et pro trocchia sentiamur. Per Dominum.

In Quadrages. Commem. Feriæ.

Lect. j. Noct. Sapientiam. de Communi Doctorum.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

JOANNES a patro loco Damascenus dictus, nobili genere natus; humanis divinisque litteris a Cosma monacho Constantiopolii fuit excultus; cumque ea tempestate imperator Leo Isauricus netario bello sacrarum Imaginum cultum insectaretur, Joannes hortatu Gregorii tertii Romani Pontificis, et sermone et scriptis sanctitatem illius cultus sedulo propugnavit. Quo facto tantam Leonis adversum se invidiam concitavit, ut hic confictis litteris ipsum tamquam proditorem accusarit apud Damasci caliphum, qui Joanne conciliario et administratorebatur. Credulus fraudi princeps Joanni nequidquam calumniam ejuranti præcidi dexteram jussit. Verum innocentiae vindex adfuit clienti suo sanctissima Virgo, cujus ope in precibus enixe imploraverat ejusque beneficio trunca manus restituta ita brachio coaluit, ac si divisa numquam fuisset. Quo maxime miraculo permotus Joannes, quod pridem animo conceperat exsequi statuit. Itaque ægre a

caliphā impetrato secessu, suas omnes facultates in egenos distribuit, et servos liberate donavit: tum sacra Palæstinæ loca peregrinus lustravit, ac demum una cum Cosma institutore suo in Lauram sancti Sabbæ prope Hierosolimam concessit, ibique presbyter initatus est.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. v. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio V.

In religiosæ vitæ palæstra præclariora virtutum exempla monachis præbuit, demissio potissimum et obediens. Abjectissima quæque cœnobii munia veluti sibi propria de poscebat ac sedulo obibat. Contextas a se sportulas venditare Damasci jussus, in ea nimirum civitate ubi olim summis honoribus perfurctus fuerat, irrisiones ac ludibria vulgi avide captabat. Obedientiam adeo coluit, ut non modo ad quemlibet præsidium nutum præsto esset: sed ne causam quidem eorum qua præcipiebantur, quamvis ardua essent et irsolita, querendam sibi unquam putarit. Inter has virtutum exercitationes, catholicum dogma de sanctorum Imaginum cultu impense tueri

nunquam destitit. Quare ut ante Leonis Isaurici, ita postmodum Constantini Copronymi adversum se odia vexationesque provocavit; eo vel magis quod libere arrogantiam imperatorum retunderet, qui fidei negotia petractare, deque his sententiam arbitratu suo ferre audebant.

R. Amavit eum Dominus et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. v. Induit eum Dominus loricam fideli, et ornavit eum.—Et ad portas.

Lectio VI.

MIRUM sane est quam multa tum ad fidem tutandam, tum ad pietatem soverdam, et solita et adstricta numeris oratione, Joannes elucubraverit dignus sane qui ab altera Nicæna synodo amplissimis laudibus celebraretur, et ob aureum orationis flumen Chrysorhæs appellaretur. Neque solum contra Iconomachos orthodoxam fidem defendit; sed omnes ferme hæreticos, præsertim Acephalos, Monotheitas, Theopaschitas strenue impingnavit: Ecclesiæ jura potestateque egregie vindicavit: primatum Principis Apostolorum disertissimis verbis asseruit; ipsumque ecclesiarum columen, infractam petram, orbis terrarum magistrum et moderatorem sèpius nominat.

Homilia sancti Petri Chrysologi. Serm. XXXII.

Universa autem ejus scripta non modo eruditione edocta ina præstant, sed etiam quemdam ingenuæ pietatis sensum præferunt, præcipue cum Génitricis Dei laudes prædicat, quam singulari cultu et amore prosequebatur. Illud vero maxime in laudem Joannis cedit, quo primus universam theologia recto ordine comprehendenterit, et sancti Thonæ viam complanaverit ad sacram doctrinam tam præclaræ methodo tractandam. Tandem vir sanctissimus meritis plenus devexaque iam ætate, in pace Christi quievit anno circiter septingentesimo quinquagesimo quarto. Ejus Officium et Missam Leo secundus tertius Pontifex maximus, addito Doctoris titulo, universæ Ecclesiæ concessit.

R. Iste homo perfecit omnia, qua locutus est ei Deus et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus v. Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna.—Quia te vidi. Gloria Patri. Quia te vidi.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. VI.

In illo tempore: Factum est et in alio sabbato, ut intraret Jesus in synagogam, et doceret: et erat ibi homo, et manus ejus dextera erat arida. Et reliqua.

In hoc homine nostræ tantum geritur umbra sanitatis; perfecta autem salus nobis reservatur in Christo quia tunc ariditas nostræ manus miseranda dissolvitur, cum cruento per-

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populi tuum. v. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinentis se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua.—Ipse.

Lectio VIII.

In hoc homine nostræ tantum geritur umbra sanitatis; perfecta autem salus nobis reservatur in Christo quia tunc ariditas nostræ manus miseranda dissolvitur, cum cruento per-

funditur Dominicæ passionis, cum in illo vitali ligno crucis extenditur, cum carpit fructuosam de dolore virtutem, cum totam arborem salutis amplectitur, cum clavis Domini corpus affigitur, quo nunquam ad arborem concupiscentiae et aridæ redeat voluptatis. Et ait homini habenti manum ariam: Surge in medium, professor debilitatis propriæ, supernæ pietatis exactor, testis divinæ virtutis, Iuliacæ incredulitatis assertor, surge in medium, ut quos non compungit virtus tanta signorum, quos non opera tantæ salutis inclinant, vel debilitatis tantæ miseratione constringat et mitiget.

¶. In medio Ecclesie aperuit os ejus, * Et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus. ¶. Jucunditatem et exultationem thesaurizavit super eum.—Et implevit. Gloria Patri. Et implevit.

In quadragesima Lectio nona de Homilia et Commemoratio Feriæ in laudibus.

Extra Quadragesimam.

Lectio IX

DIXIT homini: Extende manum tuam; et extendit, et restituta est manus illius. Extende manum tuam: jussione solvitur, quæ fuerat jussione convicta. Extende manum tuam. Agnovit poena judicem, opus Deum, indulgentia pro-

didit conditorem. Orate fratres, ut sola synagoga tali debilitate fuscetur, nec sit in Ecclesia, cuius manum arefaciat cupiditas, contrahat avaritia, rapina debilitet, tenacitas aegrotam constringat; sed si acciderit id ipsum, audiat Dominum et cito eam in opere pietatis extendat, relaxet et in misericordia, in eleemosynis porrigit. Sanari nescit, qui nescit pauperi foenerari.

Te Deum laudamus.

In II. Vesperis fit Commemoratio sequentis.

DIE XXVIII. MARTII.

S. JOANNIS A CAPISTRANO.

Conf. Semiduplex.

Omnia de Communi Confessores non Pontificis præter sequentia.

In Hymno Iste Confessor mutatur tertius versus.

Oratio.

DEUS, qui per beatum Joannem fideles tuos in virtute sanctissimi nominis Jesu de crucis inimiis triumphare fecisti: præsta, quæsumus; ut spiritualium hostium ejus intercessione superatis insidiis, coronam justitiae a te accipere mereamur. Per eundem Dominum.

In Quadrag. Comm. Feriæ. Lectiones j. Noct. Beatus vir. de eodem Communi ij. loco, Extra Quadrages. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

JOANNES Capistrani in Pelignis ortus, et Perusium studiorum causa missus, in christianis et liberalibus disciplinis adeo profecit, ut ob egregiam juris scientiam aliquot civitatibus a Neapolis rege Ladislao præfектus fuerit. Dum autem eorum rempublicam sanctissime gerens perturbatis rebus tranquillitatem revocare studet, capitur ipse et in vincula conjicitur, quibus mirabiliter erexitus, Francisci Assisiensis regulam inter Fratres Minores profitetur. Divinarum litterarum studium progressus, præceptorum nactus est sanctum Bernardinum Senensem, cuius et virtutis exempla, in cultu potissimum sanctissimi nominis Jesu ac Deiparæ propagando egregie est imitatus. Aquilanum episcopatum recusavit, et severiore disciplina atque scriptis, quæ plurima edidit ad mores reformatos, maxime enuit.

¶. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ¶. Justum diluxit Dominus per vias re-

ctas, et ostendit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio V.

PRAEDICATIONI verbi Dei sedulo incumbens, Italiam ferre universam lustravit, quo in munere et virtute sermonis et miraculorum frequenter innumeris prope animas in viam salutis reduxit. Eum Martinus quintus ad extinguidam Fraticellorum sectam inquisitorem instituit. A Nicolao quinto contra Judæos et Saracenos generalis inquisitor in Italia constitutus, plurimos ad Christi fidem convertit. In Oriente multi optime constituit, et in concilio Florentino, ubi veluti sol quidam fulsit, Armenos Ecclesiæ catholicae restituit. Idem Pontifex, postulante Frederico tertio imperatore, illum apostolicae Sedis nuntium in Germaniam legavit, ut hæreticos ad catholicam fidem et principum animos ad concordiam revocaret. In Germania, aliisque provinciis Dei gloriam sexennali ministerio mirifice auxit, Hussitis, Adamitis, Thaboritis, Hebræisque innumeris doctrinæ veritate ac miraculorum luce ad Ecclesiæ sinum traductis.

¶. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum. * Et ad portas paradisi coronavit eum. ¶. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum.—Et.

Lectio VI.

CUM Callistus tertius, ipso potissimum deprecante, cruce signatos mittere decrevisset, Joannes per Pannioniam, aliasque provincias volitavit, qua verbo, qua litteris principum animos ita ad bellum accedit, ut brevi millia Christianorum septuaginta conscripta sint. Ejus consilio et virtute potissimum Taurunensis Victoria relata est, centum ac viginti Turcarum millibus partim cæsis, partim fugatis. Cujus victoriæ cum Romam nuntius venisset octavo Idus Augusti, idem Callistus ejus diei memoriae solemnia Transfigurationis Christi Domini perpetuo consecravit. Lethali morbo ægrotum et Villacum delatum viri principes plures visitarunt: quos ipse ad tuendam religionem hortatus, animam Deo sancte reddidit anno salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto. Ejus gloriani post mortem Deus multis miraculis confirmavit: quibus rite probatis Alexander octavus anno millesimo sexcentesimo nonagesimo Joannes in Sanctorum numerum retulit, ejusque Officium ac Missam Leo decimus tertius, altero ab ejus canonizatioне sæculo, ad universam extendit Ecclesiam.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus et dixit ad eum: Ingredere in quietem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus

gentibus. ¶ Iste est qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cœlestia regna.—Quia. Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. IX.

IN illo tempore: Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem, et potestatem super omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et reliqua.

Homilia sancti Bonaventuræ Episcopi.

Expositio in cap. ix. Lucæ.

A POSTOLI ideo nominati sunt, ut eorum commendaretur auctoritas. Apostolus enim missus interpretatur; missi autem fuerant ad prædicandum, secundum illud: Non mihi me Christus baptizare, sed evangelizare. Fuerunt ad prædicandum missi, non rem parvam, sed magnam, scilicet regnum Dei per quod potest intelligi doctrina veritatis, juxta illud: Auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. Potest etiam dici gratia Spiritus sancti, secundum illud: Non est regnum Dei esca et potus, sed justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto; et infra: Ecce regnum Dei intra vos est. Potest etiam dici glo-

ria æterna, juxta illud: Amen dico vobis, nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

R. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. ¶ Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua.—Ipse.

Lectio VIII.

O MNIBUS his modis Apostoli sunt missi prædicare regnum Dei, scilicet veram doctrinam, divinam gratiam et æternam gloriam. Et quia propter auctoritatem prædicationis concesserat potestatem curationis, ideo subdit: Et sanare infirmos, scilicet, misit ad confirmationem veritatis prædicare secundum illud: Illi autem profecti, prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis. Unde signum missionis spiritualis ad prædicandum est sanatio audientium à mortis viatorum.

R. Sint lumbi vestri prædicti, et lumen ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando re-

vèratur à nuptiis. ¶ Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.—Et vos. Gloria. Et vos.

In Quadr. Lect. ix de Homili. et Comm. Ferie in Laud.

Extra Quadragesimam.

Lectio IX

T RIA autem sunt signa evidētia, quibus probatur utrum prædicator a Domino sit missus ad Evangelium prædicandum. Primum est auctoritas mittentis, cuius modi est Pontificis, et maxime Pontificis summus, qui est loco Petri, imo Jesu Christi: unde qui ab eo mittitur, a Christo mittitur. Secundum est zelus animarum in persona quæ mittitur, quando scilicet principaliter querit Dei honorem et animarum salutem. Tertium est fructificatio et conversio auditorum. Per primum sunt nuntii Patris, per secundum Filii, per tertium Spiritus sancti. De primo: Pro patribus tuis nati sunt tibi filii. De secundo: Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Jesum Christum Dominum nostrum. De tertio: Posui vos ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Et qui sic mittitur, potest dicere illud: Spiritus Domini super me, eo quod unixerit me.

Te Deum laudamus.

DIE VI APRILIS.

In festo

BEATÆ JULIANÆ V.,

SANCTÆ NUNCUPATÆ

Duplex.

Omnia de Communi Virginum præter sequentia.

Oratio.

Deus, humilium celsitudo, qui beatam virginem Julianam ad promovendum Sanctissimi Sacramenti cultum mirabiliter inflammasti: tribue, quæsumus, ita nos humilitatis ejus vestigia sectari in terris, ut cum ipsa sublimari mereamur in cœlis. Per Dominum....

Lectiones i Nocturni extra Quadragesimam de Scriptura occurrente.

*In II Nocturno.**Lectio IV.*

VERTENTE anno Christi millesimo centesimo nonagesimo tertio, nata est beata Julianæ in Retinna humili pago Leodiensi parentibus religione conspicuis, quibus orbata quinquennis, sub disciplina religiosa in Cornelii montis ascetrio prope Leodium adolevit. In eo, adjuvante Spiritu Sancto ita profecit; ut virtutum omnium cui nen attigisse videtur. Sancti Augustini regulam, quæ in eodem monasterio vigebat, accurate professa, ac sororibus suis præposita, omnia in se oculos ex austera sanctaque vivendi ratione convertit. Præclara sunt quæ produntur, tum de ipsis in Deum et pro-

ximum amore, humilitate, obedientia, pietate et abstinentia, tum de orationis studio ac cœlestibus charismatibus.

*R. Propter veritatem.**Lectio V.*

DUM ad sacram synaxim accedebat, incredibili pietatis sensu et gratiæ donis replebatur. Sponsum suum cœlestem sub Eucharisticis speciebus latenter frequenter invisebat, prona adorabat, et omnibus adorandum prædicabat: unde factum est, ut Deus, qui infirma mundi eligit, humilem virginem ad promovendum sanctissimæ Eucharistij cultum mirifice inflamarit. Etenim coram augusto Sacramento provoluta, divinitus intellexit instituendam esse in Ecclesia singularem Corporis Christi solemnitatem. Quod cum viris piis et doctis declaraset, hi, rediligenter examinata, ipsa adhortante Julianæ, Robertum Leodiensem episcopum adduxerunt, ut in sua Dioecesi hoc festum institueret: quod postea Urbanus Quartus, antea Leodiensis Cathedralis Archidiacus, auctoritate Apostolica approbavit, et ad universam Ecclesiam extendit.

*R. Dilexisti...**Lectio VI.*

MORTUO Leodiensi antistite Roberto, in multis et graves tribulationes devenit Julianæ: nam impiis factionibus monasterio cum suis sororibus

expulsa, in necessitate extrema aliquandiu vixit, donec in Salsiniense monasterium excepta, inibi a gravissimis malis aliquantulum respiravit. Sed turbata iterum pace ex ingruentiis bellis, et disperso ipso Salsiniensi monasterio, in oppidum Fossæ deducta, aliquanto post lethali morbo corripitur, quo ingravescente, sacrosanctum Christi Domini Corporis in oppidi Ecclesia Collegiata sumpsit in Viaticum speciali cordis ardore. Tum in cellulam redux et sacro oleo inuncta, oculis in sanctissimum Eucharistij Sacramentum defixis: anno ætatis suæ sexagesimo sexto pie obdormivit in Domino, Julianæ corpus in cœnobium Villaniense Monachorum Cisterciensium, ut ipsa expetierat, fuit translatum, ubi miraculis claurit.

R. Afferentur...

DIE XXVI. APRILIS.

*In Festo*SS. CLETI ET MARCELLINI
Pont. et Mart.*In secundo Nocturno.**Lectio IV.*

CLETUS Romanus, patre Æmiano, de regione quinta, e vico Patricio, in imperatoribus Vespasiano et Tito, Ecclesiam gubernavit. Is ex præcepto Principis Apostolorum in Urbe

viginti quinque Presbyteros ordinavit. Primus in litteris verbis illis usus est: Salutem et Apostolicam benedictionem. Qui Ecclesia optime constituta, cum ei præfuisse annos duodecim, menses septem, dies duos, Domitiano Imperatore, secunda post Neronem persecutione, martyrio coronatus est, et in Vaticano juxta corpus beati Petri sepultus.

Lectio V.

MARCELLINUS Romanus, ab anno ducentesimo nonagesimo sexto ad annum trecentesimum quartum in immani Imperatoris Diocletiani persecutione Ecclesiæ præfuit. Multas pertulit angustias ob improbam eorum severitatem, qui eum redarguebant de nimia indulgentia, erga lapsos in idolatriam, quæque causa fuit, ut per calumniam infamatus fuerit quasi thus idolis adhibuisset. Verum hic beatus Pontifex in confessione fidei, una cum tribus aliis Christianis, Claudio, Cyrino et Antonino, capite plexus est. Quorum projecta corpora, quum triginta sex dies jussu Imperatoris sepultura caruissent, beatus Marcellus a sancto Petro insomnis admonitus, cum presbyteris et diaconis, hymnis et luminibus adhibitis, honorifice sepelienda curavit in cœmeterio Priscillæ via salaria. Rexit Ecclesiam annos septem, menses undecim, dies

viginti tres: quo tempore fecit Ordinationes duas mense Decembri, quibus creavit Presbyteros quatuor, Episcopos per diversa loca quinque.
Sermo Sancti Ambrosii Episcopi.

Lectio VI Serm. 22.

DIGNUM et congruum est, fratres, ut post lætitiam Paschæ, quam in Ecclesia celebravimus, gaudia nostra cum sanctis Martyribus conferamus et iis annuntiemus Dominicæ resurrectionis gloriam, qui consortessunt Dominicæ passionis. Qui enim socii sunt contumeliae, debent et particeps esse lætitiae. Ita enim dicit beatus Apostolus; Sicut socii passionum estis, et resurrectionis eritis; si tolerabimus, inquit, et conregnabimus. Qui ergo toleraverunt mala propter Christum, debent et gloriam habere cum Christo.

DOM. Post XXV APRILIS

In festo

B. MARIAE V. DE MONTE-SERRATO, PATRONAE CATHALAUNIAE PRINCIPATUS.

Duplex I classis cum octava. Pro Clero Omnis Dioecesis Cathalauniae.

Omnia ut in festis B. M. V., præter sequentia.

AD VESPERAS.

Antiphonæ de laudibus.

Capitulum. Eccli. XXIV.

QUASI cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio roseæ in Jericho. ¶ Fundamenta ejus in montibus sanctis. Alleluia.

R. Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Alleluia.

AD MAGNIFICAT.

Antiph. Ego in altissimis habito, et thronus meus in nubibus coeli: transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. Alleluia.

Oratio.

BONORUM omnium largitor Deus, qui electum montem gloriæ Unigeniti tui Matris insigni cultu clarificas; concede; ut eus lem Immaculatae semper Virginis Mariae praesidio potenter adjuti, ad montem qui Christus est, securi perveniamus. Qui tecum...

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Sanctam Dei Genitricem venerantes, *adoremus Dominum in Monte sancto ejus. Alleluia.

Hymnus

TERRÆ polique gaudium Mater beata Numinis, Nostris adesto canticis,

Votisque clemens annue.

Per te salutis auspicem, Abrupta montis culmina Lucis supernæ munere Imago ditat inclyta.

Templi sacroto e limine Labentis orbe temporis, Gentes ducesque gentium Donis replentur jugiter.

Pergas et æqua supplices Audire mente filios; Velis vocari in asperis Tutela rebus unica.

Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, Cum patre et alino Spiritu In sempiterna sæcula.

Amen.

IN I NOCTURNO.

Antiph. Montes stillabunt dulcedinem, et colles fluent lacte et melle. Alleluia.

V. Radicavi in populo honorificato. Alleluia.

R. Et in electis meis misericordia potenter adjuti, ad montem qui Christus est, securi perveniamus. Alleluia.

Lectio I.

De Isaia Prophetæ.

c. II.

VERBUM, quod vidit Isaias, filius Amos, super Iuda et Ierusalem. Et erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi, et dicent: Venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas,

et ambulabimus in semitis ejus quia de Sion exhibet lex, et verbum Domini de Jerusalem.

R. Properabunt gentes multæ, et dicent: venite, et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei.* Docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis illius. Alleluia.

V. Vocabitur civitas Dei, et mons Virginis Matris ejus.* Docet nos...

Lectio II.

c. XXXV.

LAETABITUR deserta et invia, et exultabit solitudo, et florabit quasi lily. Germinans germinabit, et exultabit lætabunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, et Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: Confortamini et nolite timere: ecce Deus vester ultionem adducet retributionis.

R. Exaltasti sicut aquila nitudum tuum, et habitatio tua in nubibus coeli.* Quo progrederis, Filia Sion, pulchra ut luna, electa ut sol? Alleluia.

V. Revertere, revertere, Sunamitis, ut intueamur te.* Quo progrederis...

Lectio III.

TUNC aperientur oculi cæcorum, et aures surdorum patrebunt. Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissæ

sunt in deserto aquæ, et torrentes in solitudine. Et quæ erat arida, erit in stagnum, etsi tamen in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci. Et erit ibi semita et via, et via sancta vocabitur: non transibit per eam pollutus, et hæc erit vobis directa via, ita ut stulti non errent per eam. Non erit ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi: et ambulabunt qui liberati fuerint.

¶. Levavi oculos meos ad montes unde véniet auxilium mihi: * Auxilium meum a Domino, qui fecit cœlum et terram. Alleluia.

¶. Ecce non dormitavit, neque dormiet, qui custodit Israel. * Auxilium... Gloria Patri... * Auxilium...

IN II NOCTURNO.

Antiph. Abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui. Alleluia.

¶. Vox turtris audita est in terra nostra. Alleluia.

¶. Terra nostra dedit frumentum suum. Alleluia.

Lectio IV.

DUM copia Saracenorum cultiores Hispaniarum regiones depopularentur, et Barcinonem, obsidione captam, diro

jugo premerent, insigne Beataissimæ Virginis Mariæ simulacrum, ut posteritatis memoria tradiderunt, a Petro illius civitatis Episcopo impiorum licentia subtractum, in præruptis Montis-Serrati latebris repositum fuit. Eminentis hoc in colle per duo ferme sæcula delituit pretiosus ille urbis thesaurus. Nono autem ad exitum vertente sæculo, quidam pastores ad clivi radices greges suos custodientes alicujus sabbati vespera tamquam e cœlo cadentes stellas ad orientale latutus conspexerunt, suavesque audivere concentus in regione eadem resonantes. Idipsum cum iterum iterumque evenisset, eadem recurrente sabbati hora, et Epis:opo Ausonensi, ob incursiones barbarorum tunc Minorissæ degenti, nuntiatum esset, hic, viso prodigio, ad impervia juga exploranda accessit. Ibique in abdita specu, non secus ac in naturali ædicula, speciosam Deiparæ ligneam iconem reperit ac veneratur, et mox una cum clero, atque præ gaudio gestiente populo, Minorissam defert, illam in cathedrali templo publicæ venerationi expositurus.

¶. Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum: cuius inestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus. * Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium, Alleluia.

¶. Quæ est ista, quæ ascendet de deserto deliciis astuens, innixa super dilectum suum? * Et sicut...

Lectio V.

QUUM fatigati itinere, pius Præsul ac devota turba paululum constitissent, ad constitutum terminum subinde iterum contendentibus, veneranda effigies tanto pondere gravis subito effecta est, ut nulla hominum vi e loco amoveri potuerit. Ex novo itaque signo compertum est, ipsam Dei Matrem augustissinam hac ratione demonstrasse itineris metam, eumque se elegisse locum, in quo, veluti in elevato glorie ac misericordiæ suæ throno, fidelium populorum obsequia, preces et vota exciperet. Quare primum Præsulis Gothomari sumptibus devotum sacellum ibi extructum fuit. Quod postea tum comitum Barcinonensium opibus, et aliorum fidelium largitionibus, tum Summorum Pontificum et Hispaniarum Regum munificentia, addito sacri Benedictini Ordinis amplio monasterio adeo templi splendore ac sanctitate crevit, ut brevi temporis intervallo, Montis-Serrati nomen et religio ad dissitas usque mundi plagas manaverit. Non incassum propterea quovis ævo habitus uti mons Dei, mons pinguis, mons perennibus Immaculatæ semper Vir-

ginis Mariæ Genitricis Dei laudibus et præconis sanctificatus.

¶. Mulier amicta sole, et una sub pedibus ejus, venit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo; species gloriæ illius quasi ignis ardens. * Super verticem montis. Alleluia.

¶. Juvenes et virgines, senes cum junioribus laudent nomen excelsæ Genitricis Dei. * Super verticem...

Lectio VI.

A c merito sacra ædes, quæ Cathalaunie Principatus margarita nuncupata est, atque in tota Hispania, et christiano orbe universo peregrinorum frequentia, et cœlestium benedictionum copia mirifice inclaurit, inter principaliora gloriæ Deiparæ Sanctuaria accentetur. Ubi plane viri sanctitate præclari, Joannes de Matha, Petrus Nolasco, Vincentius Ferrerius, Ignatius de Loyola, Aloysius Gonzaga, aliique complures Matri peramantisimæ sua vota offerre, ac spiritualis militiæ tyrocinia posse soleme habuerunt. Ibi Hispaniarum et exterarum quoque gentium principes potentissimum ejusdem patrocinium ad profligandos hostes implorare, et pro partis victoriis munera ac trophyæ exhibere. Non semel vero in recentioribus publicæ rei perturbationibus eversum sanctuarium, sacra Icone interim a fidelibus in tuto po-

sita, pristino tandem cultus decori restitutum est. Hisce ergo a Cathalaunia Episcopatu et Clero, nec non a Municipiorum rectoribus, sive ex vulgata fama, ad Sedem Apostolicam deductis, Leo decimus tertius Pontifex Maximus, eorum precibus benigne annuens, e Sacrorum Rituum Congregacionis consulto, Sanctam Mariam de Monte-Serrato eidem Cathalauniæ Provinciae Patronam principalem dedit, et in ejus honorem Officium proprium eum Missa quotannis celebrandum indulxit.

R. Beatam te dicent omnes generationes, quia fecit tibi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus: * Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum. Alleluia.

V. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. * Intercede... Gloria Patri... * Intercede...

IN III NOCTURNO.

Antiph. Afferte patriæ gentium, afferte gloriam et honorum, afferte gloriam præcelsæ Dei Genitrici Mariae. Alleluia.

V. Elegit eam Deus, et præelegit eam. Alleluia.

R. In tabernaculo suo habitare facit eam. Alleluia.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

c. I.

In illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum

festinatione in civitatem Juda; et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi abbatis.

De verb. Apoc. c. 12 circa finem.

MIRABATUR Elisabeth personam venientis, dicens: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Commendabat et vocem salutantis, adjiciens: Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo, et beatificabat fidem creditis: Beata, inquiens, quæ credidisti. Magna quidem praæconia; sed et devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cuius in se beneficia laudabantur.

R. Beata, quæ credidisti; quoniam perficiuntur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. Et ait Maria: * Magnificat anima mea Dominum. Alleluia.

V. Venit, et audite, et narrabo quanta fecit Deus animæ meæ. * Magnificat...

Lectio VIII.

Tu, inquit, magnificas Matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio: sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo, et ipse quoque tamquam amicus sponsi gaudet ad vo-

cem sponsi. Beatam esse dicis, quæ credidi; sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis; ut ex hoc magis beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem et exiguum respexit Deus. * Verumtamen numquid putamus, fratres, Elisabeth sanctam in eo quod per Spiritum utique loquebatur errasse? Absit. Beata plane, quam respexit Deus, et beata, quæ credidit. Hic enim magnus divina respectio extitit fructus.

R. Præposuit eam Dominus super regnum suum, et dedit ei diadema, ut regnaret: * Venite, gentes, et adorate Dominum. Alleluia.

V. Stola jucunditatis induit eam, et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. * Venite.... Gloria Patri... * Venite...

Lectio IX de Dom. occ.

Si non celebretur in Dominica, ex VIII Lectione fiant duæ, quarum prima desinat ad.*

AD LAUDES ET PER HORAS.

Antiph. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Suavis est et decora sicut Jerusalem. Alleluia.

Antiph. Una est perfecta mea, pulchra ut luna, electa ut sol. Alleluia.

Antiph. Columba mea in foraminibus petræ, in caverna maceriæ, ostende mihi faciem tuam. Alleluia.

Antiph. Donec aspiret dies,

et inclinentur umbræ, vadam ad montem myrræ, et ad collum thuris. Alleluia.

Antiph. Montes in circuitu ejus, ex hoc nunc et usque in sæculum. Alleluia.

Capitulum.
Eccli. XXIV.

QUASI cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypres sus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho.

O quæ perenne extolleris Lumen, decusque gentium, Salve; tuaque filios Virtute, Mater, sospita.

Lætis polorum laudibus Dum nostra tellus assonat, Rosasque miscens liliis, Aram vetustam contegit;

Celsis benigna e montibus Tu stella cunctis emicantis, Erroris atras candido Umbras nitore discute.

Diris averni e fraudibus Fidos tuere servulos, Mundoque felix naufragio Tutam reclude semitam.

Tuisque sacris ædibus, O Virgo, cœtus respice; Per te Patronam gaudeant, Vitani beatim consequi.

Jesu, tibi sit gloria, Qui natus es de Virgine, Cum Patre et almo Spírito In sempiterna sæcula.

Amen.

V. De præparato habitaculo suo. Alleluia.

R. Respexit super omnes,
qui habitant terram. Alleluia.

AD BENEDICTUS

Antiph. Benedicta es tu,
María, a Domino Deo excelso
præ omnibus mulieribus super
terram, quia per te fructum
vitæ comunicavimus. Alleluia.

Oratio ut supra in i vespereis.

AD TERTIAM.

Antiph. Una est.

Capit. Quasi cedrus... ut
in Laudib.

R. br. Nigra sum, sed for-
mosa, filia Jerusalem.* Alle-
luia, Alleluia. Nigra...

Y. Sicut tabernacula Cedar,
sicut pelles Salomonis. Alle-
luia, Alleluia.

Gloria Patri... Nigra...

Y. Nolite considerare quod
fusca sim. Alleluia.

R. Quia decoloravit me sol.
Alleluia.

AD SEXTAM.

Antiph. Columba mea.

Capitulum.

Eccl XXIV.

QUASI oliva speciosa in cam-
pis, et quasi platapus ex-
altata sum juxta aquam in pla-
teis. Sicut cinnamomum et
balsamum aromatizans: quasi
myrrha electa dedi suavitatem
odoris.

R. br. Nolite considerare
quod fusca sim.* Alleluia,
Alleluia. Nolite...

Y. Quia decoloravit me sol.
Alleluia, Alleluia.

Gloria Patri... Nolite...

Y. Columba mea in for-
aminibus petræ. Alleluia.

R. Ostende mihi faciem
tuam. Alleluia.

AD NONAM.

Antiph. Montes.

Capitulum.

Prov. VIII.

BEATUS homo, qui audit me,
et qui vigilat ad fores meas
quotidie, et observat ad postes
ostii mei. Qui me invenerit,
inveniet vitam, et hauriet sa-
ludem a Domino.

R. br. Columba mea in
foraminibus petræ.* Alleluia,
Alleluia. Columba...

Y. Ostende mihi faciem
tuam. Alleluia, Alleluia... Glo-
ria Patri... Columba...

Y. Montes in circuitu ejus.
Alleluia.

R. Ex hoc nunc et usque
in sæculum. Alleluia.

In ii vespereis omnia ut in i,
præter.

AD MAGNIFICAT.

Antiph. Salve, gloriosa Re-
gina mundi, in te omnis gra-
tia viæ et veritatis; in te omnis
spes vitæ et virtutis: intercede
pro nobis ad Dominum Deum
nostrum. Alleluia.

IN DIE OCTAVA.

DUPLEX.

*Omnia un in festo, præter
sequentia.*

IN I NOCTURNO.

Lectio I.

De Canticis Canticorum.

c. II.

EGO flos campi, et lilyum
convalium. Sicut lilyum in-
ter spinas, sic amica mea in-
ter filias. Sicut malus inter ligna
silvarum, sic dilectus meus in-
ter filios. Sub umbra illius
quem desideraveram, sedi: et
fructus ejus dulcis gutturi meo.
Introduxit me in cellam vina-
riam, ordinavit in me charita-
tem. Fulcite me floribus, sti-
pate me malis, quia amore lan-
gueo. Læva ejus sub capite
meo, et dextera illius amplexa-
bitur me. Adjuro vos, filiae Je-
rusalem, per capreas cervosque
camporum, ne suscitatis, ne-
que evigilare faciatis dilectam,
quoadusque ipsa velit.

R. Properabunt gentes. pag 39.

Lectio II.

VOX dilecti mei, ecce iste
venit saliens in montibus,
transiliens colles: similis est
dilectus meus capreæ, hin-
nuloque cervorum. En ipse stat
post parietem nostrum, re-
spiciens per fenestras, prospic-
iens per cancellos. En dilectus
meus loquitur mihi: Surge,
propera, amica mea, columba

mea, formosa mea, et veni. Jam
enim hiems transiit, imber
abiit, et recesit. Flores appa-
ruerunt in terra nostra, tem-
pus putationis advenit: vox
turturis audita est in terra no-
stra: ficus protulit grossos suos:
vineæ florentes dederunt odo-
rem suum.

Y. Exaltasti... pag. 39.

Lectio III.

SURGE, amica mea, speciosa
mea, et veni: columba mea
in foraminibus petræ, in caver-
na maceræ, ostende mihi fa-
ciam tuam, sonet vox tua in
auribus meis: vox enim tua
dulcis, et facies tua decora. Ca-
pite nobis vulpes parvulas, que
demoliuntur vineas; nam vinea
nostra floruit. Dilectus meus
mihi, et ego illi, qui pascitur
inter lilia, donec aspiret dies,
et inclinetur umbræ. Rever-
tere: similis esto, dilecte mi,
capreæ, hinnuloque cervorum
super montes Bether.

R. Levavi... pag. 40.

IN II NOCTURNO.

Lectio IV.

Ex sermonibus sancti Ber-
nardi abbatis in antiphona Sal-
ve Regina.

Ex serm. I.

DULCE canticum ac nobilissi-
mum melos, quod in hono-
rem Sanctæ Mariæ Ordo noster
devotissime corcinit, ad ædifi-
cationem nostram discutien-
dum, fratres, assumpsimus,
quia speciali dulcedine multa

refertum masticatione continua reperimus. Nam a summis labiis canticum illud effusum venit. Habet enim fundamentum: fundamentum ejus in montibus sanctis; fundamentum ejus internæ dulcedinis suavitas est. Et ubi hæc, nisi in montibus sanctis, hoc est in mentibus nostris? A Sanctis comp̄ situm a Sanctis institutum, digne frequentabitur etiam a Sanctis. Et vere nisi a Religiosis et affectione sancta ferventibus, nec subtiliter intelligi, nec efficaciter poterit decantari. Est enim tam suave ad gratiam, tam fœcundum ad sensum, tam etiam profundum ad mysteria. Tale enim est quod a nobis considerari et discuti, prout dignum est, non valeat. Ex eo autem quod suaviter sonat, mulcet affectum, et de sensuum ubertate mentem impinguat, et in Sanctam Sanctorum, Advocatam scilicet nostram, dum eam quasi presentem salutat, omnia interiora nostra medullitus inflamat. Oportet enim, ut nobis præsentem esse dicamus, quam præsentem salutamus; et totam animæ nostræ trinitatem in eam dirigamus, quam tam devotissimis precibus exoramus.

R. Vidi speciosam... pag. 40.

Lectio V.

Ex ipsius meditatione in *Salve Regina*.

Ne mireris, Domina, si claramus, quia sumus a te

nimum elongati. In regione longinqua dissipavimus partem nostram, et ideo ad te clamamus exules. Exules a patria, exules a visione divina, et utinam non exules a gratia, exules a consolatione materna. O anima! Cur non es potius a corpore separata, quam a tua Domina exul facta! Heu mihi! cur sum in tam longum exilium relegatus? O Domina, dum hic sumus exules, constituas nos, ne hic tamquam in patria confidentes, Te et tuum Filium querere desistamus. Sic tamen constituas exules in corpore, ut semper tecum simus cives in mente. Vere filii Hevae, superbi, præsumptuosi, avari, gulosi, carnales, inobedientes, et breviter in omnibus ipsam Heyvan sequentes, proni sumus ad malum, difficiles ad bonum; et si contingat aliquem filium bonorum operum generare, cum quodam cordis dolore et tristitia parturimus. Sed maium cum lætitia perpetramus, nec nobis sufficient mala nostra, sed sicut ipsa Heyva, ita et nos alios inclinamus ad malum; et etiam, sicut ipsa, ita et nos in defectibus excusamus. Plus enim placet nobis in multo sudore et labore vilia acquirere quam Dominam gloriæ degustare, et ipsam levissime, imo dulcissime possidere: nisi enim nos, Domina, adjuvissemus, fortassis jam in inferni profundissima venissemus.

R. Mulier... pag. 41.

Lectio VI.

NON ergo restat, Domina, nisi ut illos misericordes oculos ad nos convertas. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Non dubitamus, Domina, quod si nostras aspexeris miseras non poterit tua miseratione suum retardare effectum. Mirabiles nec non et amabiles illi tuorum radii oculorum, quibus nos allicis ad amorem et ad plenam ducis salutem, ne venenatos oculos basilisci timemus. Oh quam beati, o Domina, quos tui viderunt oculi! Hos, ergo, oculos ad nos, Domina, converte. Et Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O venter mirabilis, qui potuit capere Salvatorem! Fruktus tuus, Domina, hic certe est fructus beatus a principio sui ortus. Hic est Jesus Dei vivi filius. Hic est Salvator noster Dominus Deus. Hunc Jesum benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende; ut videndo Ipsum habeamus, Ipsum videndo beatitudine repleamur. O clemens, o pia, o dulcis Maria! O clemens indigentibus, pia exortibus, dulcis diligentibus! O clemens paenitentibus, pia proficiens, dulcis contemplatis! O clemens liberando, pia largiendo, dulcis te donando! O clemens consolando, pia blandiendo, dulcis osculando! Clemens es subjectis, pia jam

correctis, dulcis prædilectis.
Amen.

R. Beatam... pag. 42.

IN III NOCTURNO.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. c. I.

IN illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda; et intravit in domum Zachariæ, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii episcopi.

Lib. 2. in Luc. c. I post init.

MORALE est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem astruant. Et ideo angelus, cum abscondita nuntiaret; ut fidem astrueret exemplo, senioris feminæ sterilisque conceptum virginis Mariæ nuntiavit, ut possibile Deo onne, quod ei placuerit, assereret. Ubi audivit hoc Maria, non quasi incredula de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quo, enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia.

R. Beata... pag. 42.

Lectio VIII.

DISCITE et vos, sanctæ mulieres, sedulitatem, quam

prægnantibus debeatibus exhibere cognatis. Mariam, quæ ante sola in intimis penetralibus versabatur, non a publico virginitatis pudor, non ab studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. In montana Virgo cum festinatione, Virgo officii memor, injuria immemor, affectu urgente, non sexu, relicta perrexit domo. Discite, virgines, non circumcursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus.

R. Præposuit eam.. pag. 43.

Lectio IX de Dom. occurr.
Si non celebretur in Dominicā, dicitur sequens.

DIDICISTIS, virgines, pudorem Mariæ, discite humilitatem. Venit propincua ad proximam, junior ad seniorem: nec solum venit, sed etiam prior salutavit. Decet enim, ut quanto castior virgo, tanto humilior sit. Noverit deferre senioribus. Sit magistra humilitatis, in qua est professio castitatis. Est et causa pietatis, est etiam norma doctrinæ. Contuendum est enim, quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adjuvetur; Maria ad Elisabeth, Christus ad Joannem.

Te Deum...

DIE VIII. MAJI.
Festo in Honorem
SS. TRINITATIS
OB CONVERSIONEM GOTHORUM.

Duplex majus.

Officium ut in Festo SS. Trinitatis præter sequen. In utrisque Vesperis.

Hymnus.

CARMEN, antiqui memor usque doni,
Pangat Hispanus Triadi supernæ,
Cœlitum plaudat recinens ab alto

Aethere cœtus.

Natio late dominans Gothorum

Labe doctrinæ maculata, demum

Novit errorem, recipitque toto Pectore Christum.

En dies clari redeunt novumque

Lumen, hispana regione cedit Hæresis frendens, nigra luctuosæ

Noctis imago.

Sic, noto nubes removente, solis

Fulgorat vultus, zephyro tenuenti

Sic hiems terris fugit et renidet

Floridus annus.

Mente concordi celebrentur una,

Ut pares ambo, Pater atque Verbum

Quodque non impar ab utroque spirat,

Flamen amoris. Amen.

Ad Matutinum.

Hymnus.

PATRIS elusa feritate, vectus, Jam triumphali super astra curru,

Lucis æternæ capiebat auras Hermenegildus.

Non tamen caræ patriæ nec ille

Fratri oblitus, roseum cruentum

Exhibit Christo, fideique semen

Crescere poscit.

Annuens votis Deus excitavit Præditum magnis meritis

Leandrum,

Tota gens cuius sapiente dextra

Ducta regatur.

Ut poli sedes, meliusque regnum

Martyrem Regem docuit subire,

Sic parem cura, studioque fratrem.

Format alumnum.

Lætus, huic æquam Recaredus aurem

Præbuit, tanto docilis magistro,

Mente doctrinam bibt aureosque

Pectore mores.

Mente concordi celebrentur una,

Ut pares ambo, Pater atque Verbum

Quodque non impar ab utroque spirat,

Flamen amoris. Amen.

In secundo Nocturno

Lectio IV.

POSTQUAM Hispania sub Gothorum imperium cecidit, Ariana hæresis ab eis invicta miserabilis strages edidit. Huic nefaræ sectæ Leovigildus Rex addictus cum multa alia in Catholicos perpetravit, tum filium Hermenegildum magnæ spei juvenem, et orthodoxæ fidei præceptis a sancto Leandro imbutum, crudeliter occidi jussit, quod de Arianorum manu Communionem accipere recusaret. Subinde, cum pater innocentis filii vitam sanctissime actam animo revolveret, Recaredum, alterum filium, ejus lem Leandi disciplinæ tradidit, ut ex ea schola talis prodiret Recaredus qualis proderat Hermenegildus. Nec spem fecellit eventus. Nam indefessi Præsulis institutionibus adeo profecit Recaredus, ut, rerum potitus, populos omnes sibi subjectos, non vi et minis, sed ratione et persuasionibus ad Ecclesiam catholicam traduxerit. Itaque Concilium Toleti congregari curavit, quo ariana hæresis palam ejurata damnaretur.

R. Tunc acclamatum est in laudibus Dei, et in favore Principis ab universo Clero: Gloria Deo Patri, et Filio, et Spiritui sancto.* Cui cura est pacem et unitatem Ecclesiæ suæ sanctæ catholicæ providere.

¶. Gloria Deo nostro Jesu

Christo, qui pretio sanguinis
sui Ecclesiam Catholicam ex
omnibus gentibus congregavit.
Cui cura.

Lectio V.

EPISCOPI catholici sexaginta
duo ad celebrandum Con-
cilium convenerunt, quod in-
ter Toletana tertium ordine
est, et magnam semper vene-
rationem habuit. In primis Re-
caredus Patres adhortatus est,
ut vigiliis, jejunis, accensi-
sque apud Deum precibus sese
compararent ad ecclesiasticam
disciplinam iniquitate tempo-
rum collapsam statutis legibus
instaurandam. Deinde gravi et
efficaci oratione, in qua miri-
fici pietatis sensus emicabant,
immortales gratias Deo egit, et
incredibili gaudio se exultare
dixit, quod divino auxilio ad-
jutus non solum gentem suam,
sed Suevos quoque, paulo ante
insuam ditioiem redactos, alieno
aberrantes vitio, ad veri-
tatis viam et Ecclesiae unitatem
revocasset. Praecclare demum
peroravit, cum populos con-
versos Episcoporum diligentia
commisit, asserens aeternam
hanc sibi fore coronam, si,
quos ipse ad fidem adduxerat,
in ea fundati, optimeque consti-
tuti Episcoporum vigilanter
permanerent. Hac habita ora-
tione piissimus Rex ante Epi-
scopos, tamquam ante conspec-
tum Dei, ut dixit, consistens,
formulam Fidei a se subscriptam
protulit, qua doctrina catholica

de sanctissima Trinitate conti-
nebatur.

R. Gloria Deo nostro Iesu
Christo, qui tam illustrem
gentem unitati verae Fidei co-
pulavit; et unum gregem et
unum Pastorem instituit.* Tu
es Deus qui facis mirabilia.

v. Redemisti in brachio
tuo populum tuum. Tu.

Lectio VI.

INSIGNEM religiosi Principis
pietatem universum Concilium
laetis fautisque acclama-
tionibus exceptit, quas multæ
deinde Synodi sunt imitatæ.
Ariani Episcopi aliquique proce-
res, exemplum Regis sequuti,
professionem fidei pariter sub-
scriptam obtulerunt. Quibus
peractis, multa sancte et utiliter
in Concilio stabilita sunt;
sed illud potissimum Recaredi
consilio et suasione, ut in Mis-
sæ sacrificio symbolum fidei,
more Ecclesiae orientalis, clara
voce diceretur; qua nulla an-
quior, in Ecclesia occidentali,
memoria exstat symboli in Mis-
sæ solemnibus recepti. Sanctus
Leander luculentum homiliam
habuit, qua omnium animos ad
laetitiam, et ad diem festum
celebrandum excitavit, magna-
nopere cohortans, ut pro Regis
regnique temporali felicitate,
aeternaque gloriæ consecutione
divinam Majestatem depreca-
rentur. Porro auspicatissimæ
hujus conversionis memoria
sæculari decima tertia solemniter
celebrata, rogantibus Epi-

scopis Hispanie universis, ut
Officium et Missa concederetur
in honorem Sanctissime Trini-
tatis ob conversionem Gothor-
rum, Leo Decimus tertius Pon-
tifex Maximus benigne annuit
anno millesimo octingentesimo
nonagesimo primo.

R. Benedictus Dominus Je-
sus Christus.* Qui habitare fe-
cit fratres in unum.

v. Dominus pacis det nobis
pacem sempiternam. Qui. Glo-
ria Patri. Qui.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secun-
dum Matthæum.

Lectio VII. Cap. 28 c.

In illo tempore: Dixit Jesus
discipulis suis: Data est mihi
omnis potestas in celo et in
terra. Euntes ergo docete o-
mnes gentes, baptizantes eos in
nomine Patris et Filii et Spiriti
sancti. Et reliqua.

Homilia sancti Leandri Epi-
scopi.

(In Act. Conc. Tolet. III.)

FESTIVITATEM hanc omnium
esse solemniores festivitas ipsa significat.
Quoniam sicut nova est con-
versio tantorum plebium causa,
etiam nobiliora sunt solito Ec-
clesiae gaudia: nam multas so-
lemnitates per anni discursum
celebrat Ecclesia, in quibus ta-
meti habet gaudia consueta,
nova vero sicut in hac non ha-
bet; aliter enim gaudet de re-
bus semper possessis, aliter de

lucris magnis his nuper inven-
tis. Pro qua re et nos majori-
bus gaudiis elevamur, quia re-
pente novos Ecclesiarum par-
turisse populos intuemur, et
quorum asperitatem quondam
gembamus, de eorum nunc
gaudemus credulitate. Ergo
materia gaudii nostri tribula-
tionis præteritæ occasio fuit.
Gembamus, dum gravaremur
sed gemitus illi id egerunt, ut
hi qui per infidelitatē nobis
erant sircina, fierent nostra per
suam conversionem crōna.

R. Benedicamus Patrem et
Filiū cum sancto Spiritu.*
Laudemus et superexalte-
mus eum in sæcula.

v. Benedictus es, Domine,
in firmamento cœli, et lauda-
bilis et gloriosus in sæcula.
Laudemus.

Lectio VIII.

EXSULTA ergo et lætere Ec-
clesia Dei; gaude et con-
surge, unum corpus Christi;
induere fortitudine, et jubila
exultatione, quoniam tui mœ-
rores in gaudium sunt mutati,
tristitiae habitus in amictum
lætitiae versus est. Ecce repen-
te oblita sterilitatis et pauper-
tatis tuae uno partu populos in-
umeros genuisti Christo tuo.
Nam dispendiis tuis profici
tuoque damno subcrescis; tan-
tus denique est Sponsus tuus,
cujus imperio regeris, ut dum
te patiatur deprædari ad modi-
cum, rursum prædam tuam ad
te reducat, et hostes tuos tibi

conquirat. Sic autem agricola, sic piscator, dum lucra attendit futura, quæ seminat et quæ hamo ingesserit, non imputadama. Tu proinde jam ne fleas; ne lugeas, temporaliter quosdam recessisse a te, quos cernis cum magnis lucris rediisse ad te.

R. Duo Seraphim clabant alter ad alterum: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* Plena est omnis terra gloria ejus.

¶. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus. Gloria Patri. Plena est.

Lectio IX

ERGO, fratres, tota caritate animi exultemus in Domino, et jubilemus Deo salutari nostro. Parietem enim discordia, quem fabricaverat diabolus, pax Christi destruxit, et domus, quæ divisione in mutuam certabat ædem, uno iam Christo lapide angulari conjungitur. Dicamus ergo omnes: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bona voluntatis. Nullum enim præmium caritati compensatur. Inde omni gaudio preponitur, quia pax et caritas facta est, quæ omnium virtutum obtinet principatum. Superest autem ut unanimiter unum omnes regnum effecti, tam pro stabi-

litate regni terreni, quam pro felicitate regni celestis Deum precibus adaeamus, ut regnum et gens, quæ Christum glorificavit in terris, glorificetur ab illo non solum in terris sed etiam in cœlis. Amen.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

Hymnus.

Ut Gothus labem sceleris
vetusti
Eluat, Christi repetens ovile,
Ampla Toleti recipit vocatos
Regia Patres.

Affluunt omni Proceres ab ora
Qui Pyrenæos tenuere saltus,
Quosque ab extremis mare fabulosum

Discidit Afris.

Præsides cleri populique rite
Hæresim damnant, præeunte
Rege,

Tresque Personas profitentur,
unum

Numen adorant.

Hanc fidem ductu retinent
Leandri,

Quam nec irrepeus labefactet
error,

Ulla neu longo revoluta cursu
Polluat ætas.

Mente concordi celebrentur
una,

Ut pares ambo, Pater atque
Verbum,

Quodque non impar ab utroque
spirat,

Flamen amoris. Amen.

DIE X. MAII.

B. JOANNIS DE A VILA
Confessoris Præsbyteri Sæcularis Magistri nuncupati.

Duplex.

*Omnia de Comm. Conf. non
Pont., præter sequentia.*

Oratio.

BONORUM omnium largitor
Deus, qui beatum Joannem
Confessorem tuum, in anima
bus ad salutis viam dirigendis,
et peccatoribus ad penitentiam
reducendis, Magistrum admi
rabilem effecisti: concede quæ
sumus; ut ejus vestigiis jugiter
inhærentes, gloriam consequa
mur æternam. Per Dominum.

*In j. Nocturno, Lectiones de
Script. occurrente.*

*In Feria ij. Rogat. et in Vi
gilia Ascens. Beatus vir, de
Communi.*

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

JOANNES de Avila, cognomen
to Magister, Almodovarii,
in Hispaniæ Diœcesi Clunien
si, honesto loco natus jam
tum a puero insignia pietatis
et innocentiae exhibuit specimi
na. Humanioribus litteris multa
cum ingenii laude eruditus
decimum quartum ætatis an
num agens, Salmanticæ ad ju
ris disciplinas animum adhi
buit; quo in studio cum sedulo
versaretur, cœlesti luce subito
collustratus, domum redit ac
mundi despectis illecebris, af

flictingo corpori omnibusque
virtutibus exercendis totum se
addixit. In hoc vita genere
triennio sese exercuit, eo autem
elapso, pī cuiusdam viri mo
nitis obsecundans philosophicas
ac theologicas scientias edis
cendas suscepit, quo nempe divi
na gloriæ amplificandæ aptius
instrueretur. Sacerdos factus
acquirendæ perfectionis stu
dium longe auxit; nec multo
post apostolici ministerii fla
grans desiderio, sacras apud In
dos expeditiones cogitare coepit.

R. Honestum fecit illum Do
minus, et custodivit eum ab
inimicis, et a seductoribus tu
tavit illum: * Et dedit illi cla
ritatem æternam. ¶. Justum ded
xit Dominus per vias rectas,
et ostendit illi regnum Dei.
—Et.

Lectio V.

QUAPROPTER, patrimonio in
pauperes erogato, Episco
po Tlascensi in Mexicum pro
fecturo ultro conitem sese ob
tulit. Attamen, quum Hispali
secundum navigando tempus
præstolaretur, Hispalensis Ar
chiepiscopi suasione et consilio,
Mexicane expeditioni aposto
licos in Hispania labores præ
tulit. Iis igitur maximo cum
ardore susceptis, in eisdem per
annos quadraginta quinque, ad
mortem usque, constantissime
perseveravit. Præcipue Bæticæ
urbes sacris concionibus ab eo
exulta. Mirus vero inter con
cionandum ex ejus vultu atque
oculis emicans splendor tan

tam vim verbis adjiciebat, ut fructus retulerit uberrimos: extinctas simultates, factio-
num partes inter se compositas, vitia eradicta, invectam ubi-
que morum integratatem; ut non immerito Joannes Bæticæ
apostolus ac magister sit appelle-
llatus.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum,* Et ad portas paradi-
si coronavit eum. v. Induit eum Dominus loricam fidei et ornavit eum.—Et.

Lectio VI.

SAGRIS vero concionibus coe-
tera etiam ecclesiastici mu-
neris et caritatis opera addebat:
nam confessiones excipere,
pueros fidei elementa docere,
ægrotos invisere, morientibus
adstare, egenos et miseros o-
mne genus solari, quotidiana
ejus erat sollicitudo. Hæc au-
tem inter libros quoque scripsit
cœlesti plenos sapientia, divi-
nasque Scripturas e cathedra
commentariis illustravit. Sancto Ignatio de Loyola in propa-
ganda per Hispaniam Societate
Iesu maximo fuit adjumento.
Sanctis vero Joanni de Deo,
Francisco Borgia, Petro de Al-
cantara et Teresiæ a Jesu consiliis adfuit. Romani Pontifices,
quibus fuit apprime carus, sepe
ejus opera usi sunt. Tandem laboribus morboque diutino
confectus, sacramentis rite sus-
ceptis, Iesu et Mariæ nomina
suavissime ingeminans, Mon-

tiliae obdormivit in Domino
Idus Maii anno millesimo quin-
gentesimo sexagesimo nono,
ætatis septuagesimo. Miraculis
post mortem a Deo illustratum
Leo decimus tertius Pontifex
maximus in beatorum catalogo
retulit.

R. Iste homo perfecit o-
mnia quæ locutus est ei Deus,
et dixit ad eum: Ingredere in
reliquum meum: Quia te vidi
justum coram me ex omnibus
gentibus. v. Ite est qui con-
tempsit vitam mundi, et per-
venit ad cœlestia regna.—Quia.
Gloria Patri. Quia.

In tertio Nocturno.

*Lectio sancti Evangelii secun-
dum Lucam.*

Lectio VII. Cap. X.

In illo tempore: Designavit
Dominus et alios septuaginta
duos: et misit illos binos ante
faciem suam, in omnem civi-
tatem et locum, quo erat ipse
venturus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Pape.

Homilia XVII. in Evang.

DOMINUS et Salvator noster,
fratres carissimi, aliquando
nos sermonibus, aliquando
vero operibus admonet. Ipsa
etenim facta ejus præcepta
sunt: quia dum aliquid tacitus
facit, quid agere debeamus in-
notescit. Ecce enim binos in
prælicationem discipulos mit-
tit: quia duo sunt præcepta ca-
ritatis, Dei videlicet amor, et
proximi: et minus quam inter

duos caritas haberi non potest.
Nemo enim proprie ad seme-
tipsum habere caritatem dici-
tur: sed dilectio in alterum
tendit ut caritas esse possit.

R. Iste est, qui ante Deum
magras virtutes operatus est,
et de omni corde suo laudavit
Dominum: *Ipse intercedat
pro peccatis omnium populo-
rum.

v. Ecce homo sine querela,
verus Dei cultur, abstinenſ se
ab omni opere malo, et perma-
nens in innocentia sua.—Ipse
intercedat.

Lectio VIII.

Ecce enim binos ad prædi-
candum discipulos Domi-
nus mittit: quatenus hoc nobis
tacitus innuat quia qui carita-
tem erga alterum non habet,
prædicationis officium susci-
re nullatenus debet. Bene au-
tem dicitur, quia misit eos ante
faciem suam in omnem civita-
tem et locum, quo erat ipse
venturus. Prædicatores enim
suis Dominus sequitur: quia
prædicatio prævenit, et tunc al-
mentis nostræ habitaculum
Dominus venit, quando verba
exhortationis præcurrunt: at-
que per hoc veritas in mente
suscipitur.

R. Sint lumbi vestri præ-
cincti; et lucernæ ardentes in
manibus vestris: * Et vos si-
miles hominibus exspectanti-
bus dominum suum, quando
revertatur a nuptiis. v. Vigilate
ergo, quia nescitis qua hora

Dominus vester venturus sit.
—Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

HINC namque eisdem prædi-
catoribus Isaías dicit: Pa-
rate viam Domini, rectas facite
semitas Dei nostri. Iter facite
ei, qui ascendit super occasum.
Super occasum namque Domi-
nus ascendit: quia unde in pas-
sione occubuit, inde majorem
suam gloriam resurgendo ma-
nifestavit. Super occasum vide-
licet ascendit; quia mortem
quam pertulit, resurgendo cal-
cavit. Ei ergo qui ascendit su-
per occasum, iter facimus, cum
nos ejus gloriam vestris men-
tibus prædicamus, ut eas et
ipse post veniens, per amoris
sui præsentiam illustret.

Te Deum laudamus.

DIE XXII MAJII.

In festo

**SANCTORUM TORQUA-
TI ET SOCIORUM**

Episcoporum. mart.

Duplex.

*Omnia de cñi. plurim. Mar-
tyr. præt. sequentia.*

Oratio.

Deus, qui nos post beatis-
simum Jacobum Aposto-
lum, per beatos Martyres tuos
atque Pontifices Torquatum,
Ctesiphontem, Secundum, In-
daletium, Cœcilius, Hesy-
chium et Euphrasium ad agni-

tione m̄i nominis venire tribuisti: concede propitius; ut quos festivo veneramur obsequio, eorum intercedentibus meritis, æterna gaudia consequamur. Per Dominum nostrum...

In i N. ll. de Scrip. oc.

In II Nocturno.

Lectio IV.

Quo tempore primam in christianos persecutionem Nerc immanissimus imperator excitavit, beatissimi apostoli Petru; et Paulos Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indaletum, Cœcilium, Hesychium et Euphrasium, beati Jacobi apostoli discipulos, Episcopos Romæ ordinarunt, et ad prædicandum Christi Evangelium in Hispaniam miserunt. Cum autem ad eam Provinciam pervenissent, prope Accitanam urbem, in viridi campo, ut, longitudine itineris lassati, aliquantulum quiescerent, constiterunt. Cumque ad civitatem, vicitus emendi causa, aliquos misissent, pagani, qui tunc forte deorum suorum festa debacchantes peragebant, visis diversi habitus ac religionis peregrinis hominibus, in eos furentes prosiliunt; et ad Santos pervenientes, omnes pariter in fugam actos, usque ad flumen persequuntur.

N. Temp. pasch. Lux perpetua...

Extra temp. pasch. Sancti tui...

Lectio V.

SED ut viri Dei pontem transierunt, pons, qui mirae magnitudinis et firmissimus erat, concidit, et gentilium multitudinem Sanctos persequentem pariter oppressit, ac demersit in aquas. Quo miraculo accolæ territi, eos postea revocare, et in honorem habere cœperunt. In primis Luperaria quædam præclara mulier benigne illos suscepit, atque ab his fidem edocta, in oratorio, quod ipsa construxerat, baptizata est. Cujus exemplo quamplurimi in Christum credentes, relictis idolis, Baptismi Sacramentum suscepserunt.

N. Temp. pasch. In servis suis...

Extra temp. pasch. Verbera carnificum...

Lectio VI.

Hujus igitur urbis, quæ tunc prima Christi Domini fidem in Hispania recepit, beatus Torquatus Episcopus designatus est: ac cæteris ad alias Hispaniæ terras abeuntibus, ipse Acc remansit, ubi multis pro Christo perfunctus laboribus, demum martyr occubuit. Ejus corpus in eadem urbe (quæ nunc Guadix appellatur) primo sepultum est. Juxta cuius sepulchrum olim arbor olivæ erat, quæ in natali Martyris florebat, simulque fructus uberes emittebat, e quibus oleum expressum ad va-

rios morbos curandos adhibebatur. Inde in Gallicam translatum, in quodam cœnobio ordinis sancti Benedicti condigno honore asservatur. Sodales sancti Torquati et ipsi in variis urbibus Episcopi constituti, Christi Evangelium prædicarunt, et in eis quieverunt: Ctesiphon Vergii, Secundus Abulæ, Indaletius Ur. i, Coecilius Illibéri, Hesychius Carteiae, Euphrasius Illiturgi, quorum corpora ad alias postea Hispaniæ urbes translata sunt.

N. Temp. pasch. Filiæ Jerusalem.

Extra temp. pasch. Tamquam aurum...

In 3 N. Lectiones de Homilia in evangelium Ego suni vitis vera, de cñi. Martyrunt tempore paschali.

Extra temp. paschal. lectio-nes de Homilia in Ev. Cum audieritis, de primo loco.

DIE XXIII. MAI.

S. JOANNIS BAPTISTÆ DE ROSSI, Conf.

Duplex

Pro aliquibus locis.

Omnia de Communi Con-fessoris non Pontificis præ-sequentia.

Oratio.

DEUS, qui sanctum Joannem Baptistam Confessorem tuum in evangelizandis pauperibus caritate et patientia decorasti: concede quæsumus; ut

cujus pia merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum.

In j. Nocturno Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Lectio IV.

JOANNES Baptista de Rossi Veiturii in Liguria honesto genere ortus, adhuc puer morum suavitate ac pietatis studio in omnium admiratione fuit. Tredecim annos natus visus est Dei consilio Romam mitti, ut apostoli munus in ea expleret. Inter ephebos Collegii Romani Societatis Jesu adlectus, ingenio et virtute præluxit. Curabat impense, ut ii Mariano sodalitio frequentes adessent, in socomiis ægris ministrarent, honestaque animalium recreatione retraherentur a noxiis; interim cœlestia sermonibus pertractans seignores excitabat, ac proinde apostoli agnomen adeptus est. Ob asperam corporis castigationem gravi morbo corruptus, ab usitata sibi studiorum severitate aliquantum remittere coactus fuit; quod divinitus factum ajebat, ne scientia inflatus sua potius quereret, quam quæ Jesu Christi. Clericalli militiae adscriptus sacris disciplinis in sancti Thomæ collegio operam dedit, ac in virtute proficiens, dein ingenti animi voluptate sacerdotio est auctus. Ita Dominum, in hæreditatem sibi constituit, ut nullum, oblatum quidem, eccl-

siasticum beneficium accep-
tandi, nisi obedientia adige-
retur, singulari voto se ob-
strinxerit.

R. Honestum fecit.

Lectio V.

DE spirituali proximorum salute jam ab adolescentia sollicitus, sacerdos factus in id totum se devovit. Ecclesiasticos viros, sacras virgines, oppidanos, carcere detentos, imam plebem universam mira suavitate, verbi ministerio ad virtutis amorem inflammabat. Plures quotidie horas rudiorum confessionibus excipiendis impendens, ægrotis aderat vel in domibus vel in valetudinariis, præsertim phthisicis, quos sui veluti juris esse affirmabat. Hac illac per urbem alacer advolans, innumeris operibus præsto erat: at assiduus in sancta Gallæ hospitio versabatur, ut pauperes quos carissimos habuit, omni ope juvaret. Ob id a decimo quinto ætatis anno adjunctus sacerdotum cœtu, qui eisdem evangelizandis addicti sunt, ibi apostolatus sui, rationem didicit, ipsiusque societatis opera instauravit et auxit. Eadem misericordia motus egenorum omnium necessitatibus sublevandis modicam suam substantiam impedit. Perennes autem infatigabilis sui zeli fructus reliquit, satellitum, vagorum, rudium institutionem, catecheses ad sancte Pascha celebran-

dum, certam custodiam perditarum, noctuque per Urbem vagantium mulierum hospitium, præcipue vero studium lucrandi animas in clero excitatum.

R. Amavit eum.

Lectio VI.

CARITATIS in Deum ardor ex ejus ore emicabat, dum sacrис operabatur, nec sine lacrymis de ejus bonitate loqui poterat. In collegium canonorum basilicae sanctæ Mariæ in Cesmedin ex obedientia cooptatus, inter psallendum extra sensus rapi videbatur. In sacris cœremoniis diligentissimus, domus Dei decorum promovit, et in id suas opes libenter erogabat. Amorem erga Deiparam in alias effundebat, ejusque cultum in sua ecclesia fovit, addito etiam psalmodiæ quotidiano laudum præconio. Philosophi Nerii spiritu imbui studens, et in omnes cœlites piis, Apostolorum principum obsequium augendum curavit. In oratione omniq[ue] virtutum exercitatione assiduus, supernis quoque charismatibus donatus, tandem in hospitio, cui nomen a sanctissima Trinitate, quo se reduxerat in sacerdotum convictum laboribus fractus ad vita exitum adductus est, atque Ecclesiæ sacramentis refectus caritatis opera et pauperum curam commendans, decessit in osculo Domini, die vigesima tertia Maji, anno Christi

S. Augustini

59

millesimo septingentesimo sexagesimo quarto, ætatis suæ sexagesimo sexto. Insigne adeo sacerdotalis virtutis exemplar miraculis Deus illustrare dignatus est, quibus rite probatis, summus Pontifex Pius Nonus tertio Idus Maii anno millesimo octingentesimo sexagesimo cœlitum beatorum honoribus auxit; novisque fulgentem signis Leo Decimus tertius sexto Idus Decembris anno millesimo octingentesimo octogesimo primo in sanctorum albo recensuit.

R. Iste homo.

*In iij. Nocturno Homilia in
Evang. Sint lumbi. de Comm.
Conf. non Pont. j. loco.*

DIE XXVII. MAJ.

**S. AUGUSTINI, Episc. et
Confessoris.**

Duplex.

*Omnia de Communi Conf.
Pont. præter sequentia.*

*In Hymno. Iste Confessor.
mutatur tertius versus.*

Oratio.

Deus qui Anglorum gentes, prædicatione et miraculis beati Augustini Confessoris tui atque Pontificis, veræ fidei luce illustrare dignatus es: concede; ut, ipso interveniente errantium corda ad veritatis tuae redenant unitatem, et nos in tua simus voluntate concordes. Per Dominum.

*In j. Nocturno Lectiones de
Scriptura occurrente.*

In secundo Nocturno,

Lectio IV.

AUGUSTINUS Romæ in Late-
ranensi cœnobio monachus,
a Gregorio Magno cum sociis
monachis fere quadraginta in
Angliam missus est anno
quingentesimo nonagesimo
septimo, ut gentes illas ad
Christum converteret. Erat eo
tempore rex Ethelbertus in
Cantio potentissimus, qui au-
dita adventus Augustini causa,
eum cum sociis Cantuariam,
sui regni metropolim, invitavit,
ibique manendi et Christum
prædicandi facultatem eidem
liberaliter concessit. Quare
sanctus vir prope Cantuariam
oratorium exstruxit, ubi ipse
aliquamdiu consedit, atque
Apostolicam vivendi rationem
cum suis æmulatus est.

R. Inveni David.

Lectio V.

CÆLESTIS doctrinæ prædicatio-
ne plurimis firmata mi-
raculis, ac vitæ exemplo sic
insulanos illos demulsi, ut
eorum plerosque ad Christianam
fidem perduxerit, ac de-
mum regem ipsum, quem cum
in numero suorum comitatu sa-
cro fonte lustravit, summa cum
laetitia Berthæ regiae uxoris,
quæ christiana erat. Olim in
Natali Domini, cum decem
millibus et amplius baptismum
in alveo fluminis Eboraci con-
tulisset, quotquot ex iis morbo
aliquo affecti erant, cum ani-
mæ salute, corporis quoque

sanitatem recepisse memoriae proditum est. Jussu Gregorii ordinatus Episcopus, sedem Cantuarie instituit in Ecclesia Salvatoris a se erecta, in qua monachos operis sui subsidiarios collocavit; et sancti Petri monasterium, quod postea et a suo nomine dictum est, in suburbanis construxit. Idem Gregorius usum Pallii cum facultate ecclesiasticae hierarchiae in Anglia instituendae ei concessit, quo novam etiam operariorum manum misit, nempe Mellitum, Justum, Paulinum, et Rufinianum.

R. Posui adjutorium.

Lectio VI.

DISPOSITIS ejus Ecclesiæ rebus, synodus habuit Augustinus cum Epi scopis atque Doctoribus veterum Britonum, qui in Paschæ celebratione aliquique ritibus ab Ecclesia Romanajam-dum dissidebant. Sed cum eos neque Apostolicae Sedis auctoritate, neque miraculis movere posset ut dissidio cessarent, propheticō spiritu eis excidium prænuntiavit. Denique maximis pro Christo exaltatis laboribus, miraculis clarus, cum Mellitum Londinensi Ecclesiæ præfecisset, Justum Roffensi, sua Laurentium, in cœlum migravit septimo Kalendas Junias, Ethelberto regnante, ac sepultus est in Monasterio sancti Petri, quod exinde Cantuariensem Antistitutum et aliquot Regum conditorum fuit.

Ejus cultum ferventi studio prosequutæ sunt Anglorum gentes, ac Leo Decimus tertius Pontifex Maximus ejus Officium ac Missam ad universam extendit Ecclesiam.

R. Iste est qui ante.

In iij. Nocturno Homilia in Evang. Designavit Dominus. de Comm. Evang.

FERIA VI.

post Oct. Corporis Christi.

In Festo

SS. CORDIS JESU
ad ritum Duplicis j. classis
ejecto. (Juxta decr. S. R. C.
Urbis et Orbis d. d. 19. Aug.
1890.)

Lectio VI.

AD hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus: ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo, et in te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visible, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligit? Quis tam amans non redaret? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus,

amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cuius impii agricultæ foderunt manus et pedes, latus et Cor: stemusque, ut cor nostrum, durum adhuc et impenitens, amoris sui vinculo constringere, et jaculo vulnerare dignetur. Quam caritatem Christi patientis et pro generis humani redemptione morientis, atque in sue mortis commemorationem instituentis Sacramentum Corporis et Sanguinis sui, ut fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberior percipient, Clemens decimus tertius ipsius sacratissimi Cordis festum concessit, Pius nonus ad universam extendit Ecclesiam, ac denique summus Pontifex Leo decimus tertius, orbis catholici votis obsecundans, ad ritum duplicis primæ classis evexit.

DIE XX. JUNII.

In Festo
S. SILVERII, Pont. et Mart.
Lectio II.

SILVERIUS Campanus, post Agapitum proxime Pontifex creatus est: cuius doctrina et sanctitas illuxit in insectandis hæreticis: et constantis animi magnitudo perspecta est in tuendo judicio Agapiti. Nam Anthimum, quem, quia Euychaniam hæresim defendebat, Agapitus ab Episcopatu Constantinopolitano deposuerat,

cum a Theodora Augusta se-
pissime rogatus eset, restituere noluit.

Lectio III.

QUAMOREM irata mulier mandat Belisario ut Silverium mittat in exilium. Qui exsulavit in insula Pontia, unde his verbis scripsisse fertur ad Amatorum Episcopum: Sus-tentor pane tribulationis, et aqua angustiae, nec tamen dimisi, aut dimitto officium meum. Et saepe brevi incommodis ærumnisque confectus, obdormivit in Domino, duodecimo Kalendas Julii; cuius corpus Romam delatum, et in Basilica Vaticana depositum, multis miraculis illustratum fuit. Præfuit Ecclesiæ annos tres et amplius, creatis mense Decembri Presbyteris tredecim, Diaconis quinque, Episcopis per diversa loca decem et novem,

DIE V. JULII.

S. ANTONII MARIAE
ZACCARIA
Confessoris. Duplex.
Omnia de Comm. Conf. non
Pont. præter seq.

Oratio.

FAC nos, Domine Deus, supereminente Jesu Christi scientiam, spiritu Pauli Apostoli ediscere; qua beatus Antonius Maria mirabiliter eruditus, novas in Ecclesia tua clericorum et virginum familiias congregavit. Per eundem.

Et fit Commem. Oct. SS. Apost. Petri et Pauli.

In i. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Lectio IV.

ANTONIUS Maria Zaccaria, Cremonæ in Insubria nobili genere natus, jam a puero qua futurus esset sanctitate portendere visus est. Eximiarum enim in eo virtutum: significationes mature eluxerunt, pietatis in Deum ac beatam Virginem; insignis præsertim in pauperes misericordia quorum inopie sublevandæ, vel pretiosa veste sibi detracta, haud semel præsto fuit. Humanioribus litteris in patria excultus, Ticini philosophiæ, Patavii medicinæ addiscendæ operam dedit: utque omnibus vita integritate, ita et æqualibus acumine ingenii facile antecelluit. Lauream adeptus ac domum reversus, ubi intellexit se Dei monitu ad animorum magis quam corporum morbis medenitum vocari, in sacras disciplinas percipiendas sedulo incubuit. Interea ægrotos visere, pueros christiana doctrina informare, juvenum cœtus pietate excolere, ætate etiam proiectos ad mores emendandos frequenter hortari non destitit. Sacris initiatus cum primo laret, cœlesti oberto lúmine, Angelorum corona circumdatus stupenti populo apparuisse traditur. Exinde animarum sa-

luti impensius consulere, depravatis moribus summa ope obsistere curæ fuit. Ad hæc advenas, eg. nos, afflictos paterno complexus affectu, piis aliquiis atque subsidiis recreatos ita solari, ut ejus domus miserorum perfugium haberetur ipseque pater patriæ atque angelus m. ruerit a suis cibibus appellari.

¶. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum. * Et dedit illi claritatem æternam. ¶. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei.—Et dedit.

Lectio V.

DE DIOLANI, cum secum ageret ubiores in rem christianam manare posse fructus, si in vinea Domini sibi laborum socios asciseret, re communica cum Bartholomæo Ferrario et Jacobo Morigia nobilissimis et sanctissimis viris, sodalitatis Clericorum Regularem fundamenta jecit; quam, ob suum in gentium Apostolum amorem, a sancto Paulo nuncapavit: quæ, Clemente septimo Pontifice maximo approbante et Paulo tertio confirmante, brevi per complures regiones propagata est. Sanctimonialium quoque Angelicarum societas ipsum Antonium Mariam parentem et auctoren habuit. Qui tamen adeo de se submisso sentiebat, ut nullo

pacto præesse suo ordini unquam voluerit. Tanti vero fuit patientia, ut formidolosissimas tempestates in suos commotitas constanti animo perferret; tanta charitate, ut piis adhortationibus religiosos viros ad Dei amorem inflammare, Sacerdotes ad apostolicam vivendi normam revocare, patrumque familias sodalitia ad bonam frugem instituere numquam intermisericet; imo interdum prælata cruce per compita plateasque cum suis progressus, fervida ac vehementi oratione, aberantes improbosque homines ad salutem reduceret.

¶. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriae induit eum, * Et ad portas paradisi coronavit eum. ¶. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum.—Et.

Lectio VI.

ILLUD etiam memorandum quod in Jesum crucifixum amore flagrans, crucis mysterium ab omnibus, ad statum æris campani indicium sexta quaque feria sub vesperas, recolendum curavit; sanctissimum Christi nomen in suis scriptis passim usurpabat et in ore semper habebat; ejusdemque cruciatus, vere Pauli discipulus, in corpore suo præ se ferebat. In sacram Eucharistiam singulari caritate ferebatur: cuius et frequenter percipienda consuetudinem instauravit; et

morem e sublimi throno publice in triduum adorandæ inventisse perhibetur. Pudicitiam adeo coluit ut etiam in exsanguis corpore, reviviscere visus, ejus amorem testaretur. Accesere cœlestia dona extasis, lacrymarum, futurorum eventuum cognitionis, scrutationis cordium, virtutis in humani generis hostem. Tandem magnis laboribus ubique exantlatis Guastallæ, quo pacis sequester accitus fuerat, gravi morbo corruptus est. Cremonam adductus inter suorum fletus, et complexus piissimæ matris quam proxime obitum prædictis; superna Apostolorum visione recreatus, sodalitatis sue incrementa præauit; tertio Nonas Julii anno millesimo quingentesimo trigesimo nono, sanctissime obiit, annos natu sex supra triginta. Cultum tanto viro, ob eximiam ejus sanctitatem et signorum copiam a christiano populo statim exhibitum, Leo decimus tertius Pontifex maximus ratum habuit et confirmavit: eumdemque anno millesimo octingentesimo nonagesimo septimo, in festo Ascensionis Dominicæ, solemní ritu Sanctorum fastis ascripsit. ¶. Iste homo.

In III Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum.

*Lectio VII.**Cap. x. vers. 15. 21.*

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in ilud. Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam, genu flexo ante eum, rogabat eum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Serm. xlviij. de diversis.

DURUM videtur et grave quod Dominus imperavit; ut si quis eum valt sequi abneget seipsum: sed non est durum nec grave quod ille imperat, qui adjuvat ut fiat quod imperat. Nam illud verum est quod ei dicitur in Psalmo: Propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras. Quidquid enim durum est in præceptis, ut sit lene, caritas facit. Novimus quanta ipse amor facit. Quid autem est, Neget se? Non præsumat de se, sentiat se hominem, et respiciat dictum propheticum: Maledictus omnis qui spem suam ponit in homine: subducat se sibi sed non deorsum versus: subducat se sibi ut hæreat Deo.

N. Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: *Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. v. Ecce homo sine querela,

verus Dei cultor, abstinenſ se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua.— Ipſe.

Lectio VIII.

Quo sequendus est Dominus? Quo iit, novimus: resurrexit enim et ascendit in cœlum: illo sequendus est. Plane desperandum non est quia ipse promisit, non quia homo aliquid potest. Jam quare desperemus, si membra illius capitis sumus? Bonum est illo eum sequi; sed videndum est, quo: etenim verba ista Dominus Jesus non tunc dicebat quando a mortuis jam resurrexerat: nondum erat passus, venturus erat ad crucem, venturus ad exhortationem, ad contumelias, ad flagella, ad spinas, ad vulnera, ad insultationes, opprobria, mortem. Quasi exacerbata est via: pigrum te facis, non vis sequi: Sequere. Nam quis non velit ire ad exaltationem? omnes delectat celsus tuto, sed humilitas gradus est.

N. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris: *Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando revertatur a nuptiis. v. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.— Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Ex Epist. XXXVIII.

TOLLE crucem tuam et sequere Dominum. Crux enim

nostra quam Dominus portari a nobis jubet, ut cum expeditissimis sequamur, quid aliud quam mortalitatem carnis hujus significat? ipsa enim nos cruciat, donec absorbeat mors in victoram. Crux ergo hæc ipsa crucifignenda est, et transfignenda est clavis timoris Dei, ne solutis et liberis membris reluctantem portare non possis: sequi enim dominum, nisi eam portans, omnino non vales. Nam quomodo eum sequeris si non es ejus? qui autem Iesu Christi sunt, ait Apostolus, carnem suam crucifixirunt cum passionibus et desideriis.

Te Deum.

In Laud. Commem. Octavæ SS. Apost. Petri et Pauli. Vesperæ de sequenti, Commem. precedentis.

DIE XI JULII.

In festo

S. PII I. Pont. et Martyris

Lectio ii.

Pius, hujus nominis primus Aquileiensis, Ruffini filius, ex Presbytero Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summus Pontifex creatus est Antonino Pio et Marco Aurelio Imperatoribus Augustis. Quinque Ordinationibus, mense Decembri, Episcopos duodecim, octodecim Presbyteros creavit. Exstant nonnulla ab eo præclare instituta, præsertim ut Resurrectio

Domini nonnisi die Dominicō celebraretur. Pudentis domum in ecclesiam mutavit, eamque ob præstantiam supra ceteros Titulos, utpote Romani Pontificis mansionem, Titulo Pastoris dicavit, et in qua sæpe rem sacram fecit, et multos ad fidem conversos baptizavit, ac in fidelium numerum adscriptis. Dum vero boni Pastoris munus obiret, fuso pro suis oviibus et Summo Pastore Christo sanguine, martyrio coronatus est quinto Idus Julii, ac sepultus in Vaticano.

DIE XIX. AUGUSTI.

In festo
STI. MAGINI Mart. Tarraconen.
Duplex.

Omn. de cñi. unius Mart. præter seq.

Ad Mag. in utr. Vp.

Aña. Magine martyr Christi gloriose, qui siti æstuantibus perfidis tortoribus, ex arida terra elicito fonte, poculum præbuisti, tua, quæsumus, oratio commendet nos indesinenter Deo; ut suæ gratiæ rore corda nostra profundat.

Oratio.

Deus qui hunc diem beati Magini martyris tui triumpho consecrasti; exaudi preces populi tui, et præsta: ut qui ejus merita veneramur, fidei constantiam imitemur. Per Dominum nostrum...

In I Nocturno.

Ll. de Script. occ.

In II Nocturno.

Lectio IV.

MAGINUS, seu Maximus, de cuius præclaris gestis antiqua et constans viget populorum traditio, Tarragonensis civis et martyr fuit. Hic mundanarum rerum pertæsus, ac solitudinis amore illectus, ut liberius Deo serviret, ad Brufaganos montes perrexit, ibique non longe a Tarracone, reperto specu, eremiticæ vitæ genus inire cœpit. Cum autem illorum montium incolas admodum rudes, atque ethnicae superstitioni addictos invenisset, eisdem Christum humani generis redemptorem annuntiare, eorumque mores excolere aggressus est eo successu, ut, accedente cœlestium signorum virtute, ipsorum plurimos ad veræ fidei lucem, et ad evangelicæ legis observantiam adduxerit. Hisce compertis, is qui a Maximino Imperatore præfectorus erat Tarragonensi provinciæ, eum coram se accitum graviter increpavit, quod contra imperatoria edicta deos contempnere, suisque præstigiis populos decipere auderet. Cui Maginus invicto animo opponit se præstigiatorem non esse, sed unum Deum, ejusque æternum Verbum Deum et Dominum Jesum Christum, populis prædicare, cui unice di-

vinus honor debetur. Quamobrem iratus Præses illum in teturum carcerem detrudit, extrema supplicia eidem minitans, nisi a proposito resiliat.

R. Honestum...

Lectio V.

TANTA erat viri sanctitas, ut nonnisi illius imperio se exiturum dæmonium clamasse ferant, quo filia Præfecti vexabatur. Adducto autem Magino, ejusque precibus ejecto maligno spiritu, de christiana religione constanter disserentem ingratus pater arctiori custodia ipsum includi, gravioribus constringi catenæ, fame, siti cruciari jubet. At Deus, qui mirabilis est in Sanctis suis, miro splendore carcerem illustrat, confractisque vinculis ac januis reseratis, per civitatis portam, quæ olim a Curru, hodie a Sancto Magino vocatur, ad montium Brufaganorum dilectam solitudinem liberum atque incolumem eum redire sinit. Quæ res statim ac Præsidi innotuit, eo milites immisit, ut illius caput illico abscinderent. Hi vero Præside ipso efferatores, cum ad specum pervenissent, mitissimum Christi Famulum, colaphis plagiisque crudeliter multatum, per loca aspera ac vepribus consita traxerunt; facile ab eo interea impetrantes, ut ad eorum extinguidam sitim, fontem e terra eliceret, qui ad nostra usque tempora perseve-

rat. Tandem strenuus fidei confessor ab iisdem, quibus benefecerat, gladio percussus, ad æternam martyrii coronam advolavit.

R. Desiderium...

Lectio VI

SACRUM ejus corpus christiani religiose sepulchro condiderunt; ibique deinde sacellum in ejus honorem erectum fuit, cui postea monasterium sodalium Ordinis Sancti Dominicæ accessit. Porro usque ab immemorabili tempore locus ille inclaruit tum peregrinorum ex toto Catalaunia principatu, et Valentino regno affluentia, tum fama miraculorum, præsertim a quovis morborum genere salvationum, quæ, invocato Magini nomine, aut usu prodigiosæ aquæ ab eo olim elicite contigisse narrantur. At vero Tarragonenses, qui inclitum Martyrem concivem suum habuisse gloriantur, nulli populorum umquam secundi fuere in veneratione eidem exhibenda, fiduciaque sua in valido ejus patrocinio collocanda. Ad prædictam autem a Curru portam veluti perenne monumentum extat sacellum illius memorie ab avorum pietate erectum, ubi perantiquo cultu celebris asservatur Sancti Magini imago super linteo depicta ac muro affixa; loci tamen humiditate numquam vel minimum læsa, licet ferrea crates ad ejus tutelam aliquando ap-

posita, et adhuc manens in portenti signum, ferme jam sit rubigine consumpta.

R. Stola...

In III Nocturno.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Cap. XVI, 24, 27.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et reliqua.

Homilia sancti Basilii episcopi.

In M. Mammetem.

QUONIAM in maxima celebritate hodie referimus martyrum memoriam, mens omnis erecta est, et auris parata expectans, ut dignum aliquid tanto martyre dicatur. Ita namque comparati sunt sinceri et candidi filii, ut magnifica de parentibus suis exigant encomia, nec facile ferant amplitudinem eorum quæ deprædicanda sunt perdicentes periclitari humilitatem. Quid igitur sumus facturi? Quomodo et desideriis vestris satisfaciemus? Memores estote Martyris, quotquot adjutorem ipsum adprendandum habuere, quibuscumque ex nomine advocatus in operibus præsto fuit, quoscumque sanitati restituit, quo t quo

vitæ terminos prorogavit. Collectis in unum his omnibus, ex communi symbolo Martyri encomium construite.

R. Corona..

Lectio VIII.

ISTA sunt Martyris encomia spiritualium charismatum divitiae. Non est enim quod illum more sæcularium et externorum encomiorum coherestamus. Non est cur patres et progenitores illustres proferamus; nam turpe est aliunde ornare eum, qui propria ipse virtute illustris est. Hic Martyr non accepit alliunde quem habet splendorem, sed ipse per vitæ conversationem gloriæ faculam accedit. A Magino reliqui, non ab aliis Maginus gloriam habet. Filii qui ab eo pietatem edocti sunt, in ipso glorioruntur. Ipse enim ex se ipso virtutem ubertim profundit. Non quasi torrens aliquis confluente alieno gloriatur, sed fons est, qui ex suis ipsis finibus decorem effundit. Celebremus virum non alieno sed proprio ornamento decoratum.

R. Hic est.

Lectio IX.

AD Martyris memoriam et tota regio mota est, et ad illius festum diem urbs universa immutata gestit. Ne dividitum quidem cognati excurrunt ad majorum suorum sepulchra, sed omnes ad pietatis

locum accedunt. Vides quemadmodum virtus honoretur, non divitiae? Ita Ecclesia cum eos qui præcessere honorat, eos qui præsentes sunt cohortatur. Ne, inquit, studeas divitiae, ne sapientia mundi exolescenti, ne gloria marcescenti. Evanescunt hæc una cum vita, sed cultor sis pietatis. Hæc enim et ad cœlum te evehet, hæc et immortalem memoriam ac perennem apud homines claritatem tibi comparabit. Si quisquam igitur Magini memor est, ne admiretur divitias. Convenimus enim non ut divitem laudemus, sed ut paupertatem cum pietate conjunctam extollamus.

Te Deum...

Ad Bened. Aña.

Magine beatissime, civium Tarracorensum gloria, qui pluribus toleratis pro Christo cruciatibus gaudenti animo ad gloriosam martyrii palmam evanescere, ora pro nobis Dominum. Alleluia.

DIE IX SEPTEMBRIS.

In festo

SANCTI PETRI CLAVER
Confessoris e Soc. Jesu.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf. non
Pont. præter sequentia:

Oratio.

DEUS qui abreptos in servitatem Nigritas ad agnitionem

tui nominis vocatus, beatum Petrum mira in eis juvandis caritate et patientia roborasti: ejus nobis intercessione concede ut quæ Jesu Christi sunt querentes, proximos opere et veritate diligamus. Per eundem Dominum.

In I Nocturno.

Lectiones de script. occur.

In II Nocturno.

Lectio IV.

PETRUS Claver hispanus Verduni natus, oppido Cathalaunia, Societati Jesu nomen dedit adolescens moribus innocentissimis. Tirocinio ad exemplum functus ac litteris humanius exultus in Balearium maximam trajecit philosophiae operam daturus. Ibi Alphonso Rodriguez, qui multa de futuro ejus apostolatu atque amplissimo in cœlis præmio divinitus acceperat, pia necessitudine conjunctus, sublimioris ab eo virtutis arcana paratosque sibi labores edoctus est. Inde revocatus, theologiæ curriculum Barcinone iniit, sed altero anno transmittere jussus in Americam, abruptum studiorum cursum in urbe Sanctæ Fidei bogotensi confecit. Postea Cartaginem ad oram maris atlanticæ, quo primum appulerat, reversus et sacerdotio auctus, Nigritis turpi mercatu illuc abductis vitam suam, interposita sacramenti fide plane devovit. In his autem doctrina christiana imbuendis dici vix potest quanta patientia et caritate annos amplius quadragesita insudaverit.

R. Honestum fecit.

Lectio V.

NON eorum animis solum sed et corporibus opitulabatur assidue. Ut naves eidem onus ad emporium illud appellabant, præsto aderat Petrus, hominesque miseria confectos ceu pater filios, per amantem complectens, nudis indumenta, esurientibus escam, ægris medicamina suppeditabat. Lue pestifera vel aliis morbis infectos, nihil de seipso sollicitus, cura et ope levabat peculiari, visus haud raro putrida eorum ulceræ, nauseante nequidquam natura, tractare studiosius, eximiis inde charismatibus a Deo dignatus. Quamplures a medicis desperatos subito sanitati restituit, multis oculorum lumine captis visum reddidit, tres a mortuis excitavit. Pallium suum quod ægris imponere vel substernere solebat, ulceratorum sordibus utcumque inquinatus, odo rem non efflabat nisi suavissimum, ejusque contactu plures teterime ægrotantes repente convaluerunt.

R. Amavit eum.

Lectio VI.

ABORIBUS circa Nigritas minime fractus, hereticis cum Ecclesia reconciliandis, mahu-

metanis ad Christum traducendis, civibus etiam advenisque aliis juvādis operam impedit: dignus propterea qui a Patribus concilii Tarraconensis, in communi ad Benedictum decimum tertium epistola, alter Societatis Jesu Xaverius appellarecurt. Quidquid supererat temporis dabat contemplationi, et post diurnos labores precationi in seram noctem instabat. Castimoniæ custos rigidissimus, eam ab omni labore puram ad tumulum usque servavit. Erga omnes comis, in se uno excruciendo asper erat. Domi forisque in honore habitus, nunquam extulit animum; odia vero impiorum et convicia immobili fortitudine toleravit. Tot auctus meritis, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, die natali Deiparæ, quam a puerō semper adamaverat, ad Cœlestium sedem emigravit, anno ætatis quarto supra septuagesimum absoluto. Editis post obitum eo deprecante prodigiis, Pius nonus honores ei cœlitum Beatorum decrevit. His autem cum deinde nova miracula accessissent, Leo decimus tertius anno millesimo octingentesimo octogesimo octavo, Africa Evangelio non ita pridem aperta insigne hunc Nigritarum apostolum Sanctorum fastis adscripsit.

R. Iste homo.

In III Nocturno.
Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 10.

In illo tempore: Legisperitus quidam volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostom
8. adver. Judæos.

IMITARE Samaritanum illum qui in Evangelio tantam erga vulneratum præsttit sollicitudinem. Etenim illuc præteriit levita, præteriit pharisæus, ac neuter deflexit ad jacentem; sed inclementer crudeliterque relicto illo abierunt. Samaritanus autem, qui nulla ex parte illi conjunctus erat, non prætercurrit, sed occurrens miseratus est, instillavit oleum et vinum, imposuit asino, duxit ad diversorium, pecuniam partim dedit, partim pollicitus est pro ejus, qui nihil ad ipsum pertinebat, curatione. Si Samaritanus adeo humanus mitisque fuit erga hominem ignotum; quam: habituri sumus nos veniam, si proprios fratres neglexerimus in malis gravioribus? Ne igitur dissimilemus neque inclementer prætereamus: quin, etiam si alii hoc fecerint, cave tu ne idem facias.

R. Iste est qui ante.

SS. Proti et Hyacinthi et B. M. V. de Mercede 71

Lectio VIII.

DIE XI SEPTEMBRIS.

In festo

SS. PROTI et HYACINTHI Mart.

Lectio IX.

NEQUE enim Samaritanus ille dicebat: Ubi nunc sacerdotes, ubi nunc Pharisæi, ubi nunc Judæorum doctores? Sed perinde ac venatum quedam maximum nactus es- set, ita lucrandi ansam arripuit. Et tu igitur cum videris alium egentem curatione vel corporis vel animæ, ne dicas apud temetipsum: Quare ille et ille eum non curaverunt? sed illum tu a morbo libera, non rationes negligentiæ ab illis exigas. Si aurum jacens invenias, num dicis apud temetipsum: Quare ille aut ille non sustulerunt? et non festinas ante alios rapere? Itidem et de fratribus collapsis cogita, putatoque thesaurum te reperisse, nimicrum curam illorum.* Etenim si instillayeris cuipiam velut oleum doctrinam sermonis, si ligaveris eum mansuetudine, si sanaveris tolerantia, ille faciet dictorem quovis thesauro. Qui enim separaverit pretiosum a vili, tamquam os meum erit, inquit Deus. Quid huic bono poterit æquiparari? Quod neque jejenum, neque humi cubationes, neque per vigilia, neque aliud quidpiam potest efficere, id efficit fratri procurata salus.

R. Sint lumbi vestri præcincti.

Lectio IX de S. Gorgonio Mart.

In festo

SS. PROTI et HYACINTHI Mart.

Lectio IX.

PROTUS et Hyacinthus fratres, beatæ Eugenij virginis eu-nuchi una cum illa ab Heleno Episcopo baptizati, ac studiis dediti divinarum litterarum aliquandiu in Ægypto inter ascetas mira humilitate et vitæ sanctitate vixerunt. Sed postea sanctam virginem Eugeniam Romam prosecuti, Gallieno Imperatore, in Urbe propter christianæ fidei professionem comprehensi sunt. A quibus cum nullo modo impetrari posset, ut christianam relictionem deserentes, deos colerent, acerbis verberibus cæsi, securi febis verberibus cæsi, securi feriuntur tertio Idus Septembbris.

DIE XXIV SEPTEMBRIS.

**Officium Descensionis
B. V. M. DE MERCEDE,
Redemptionis Captivorum,
PATRONÆ DIÆCESIS BARCHINO-NENSIS.**

Duplex primæ Clas. Cum Oct.

**Omnia ut in festis B. M. V.,
præter sequentia.**

Ad vesperas.

Aña. i. Vidi captivitatem populi mei, filiorum meorum et filiarum mearum, quam superduxit illis Æternus.

2. Conteram virgam ejus
de dorso tuo, et vincula tua
disrumpam.

3. In funiculis Adam tra-
ham eos, in vinculis charita-
tis.

4. Ecce hæreditas Domini,
filii; merces, fructus ventris.

5. Non fecit taliter omni
nationi: et judicia sua non ma-
nifestavit eis.

Capitulum. Eccli 24.

Ego quasi vitis fructificavi
suavitatem o'oris; et flores
mei fructus honoris et hone-
statis. Ego mater pulchrae dilec-
tionis, et timoris, et agnitionis,
et sanctæ spei.

Hymnus.

Dei mater Virgo,
Absque casu stella,
Pulchra tamquam luna,
Utque sol electa.

Nostras audi preces,
Tu, quæ captivorum
Miserata questus,
Conteris catenas.

O ter fausta dies,
Qua conspectu tuo
Sedulum pro votis
Recreasti Petrum!

O nimis profundus
Charitatis ardor!
Sic a culpa solve
Quos a jugo solvis.

Agit iste grates
Ordo, quem benigna
Voce demonstrasti
Consecrandum tibi.

Tuo, diva Parentis,
Gnatos reple zelo,
Ut corde sequamur
Ore quod vovemus.

Ei laus, qui simplex,
Personisque Trinus,
Contulit Mariam
Nobis in parentem.

Amen.

v. A Domino factum est
istud.

R. Et est mirabile in oculis
nostris.

Ad Magnificat.

Aña. Laudate Dominum
Deum nostrum, qui non dese-
ruit sperantes in se: et in me
ancilla sua adimplevit miseri-
cordiam, quam promisit do-
mui Israel, alleluia.

Oratio

DEUS, qui per gloriosissimam
Filii tui Matrem, ad libe-
randos Christi fideles a pote-
state paganorum, nova Eccle-
siam tuam prole amplificare
dignatus es, præsta, quæsumus
ut quam pie veneramur tanti
operis institutricem, ejus pa-
riter meritis et intercessione,
a peccatis omnibus et captivi-
tate dæmonis liberemur. Per
eudem Dominum...

*Ad Complet. et per Horas
final. hymn. Qui natus... et per
oct.*

Ad Matutinum.

Invitatorium. Descensionem
beatissimæ Virginis Mariæ ce-
lebremus: * Christum Redem-
ptorem Filium ejus adoremus
Dominum.

Psalm. Venite...

Hymnus

ELECTA proles, maximani
Tuam parentem dico:

Per quam fideles eximis
Ab impiorum nexibus.

Videndo Mater optima
Gementium discrimina,
Tribus revelat testibus
Iustum pietatis Ordinem.

Dignatur inde sumere
Viris ab istis unicum,
Qui a servitio proximum
Se mancipando, vindicet.

Captivitatis vincula
Soluta sunt per Virginem:
Ejus sub aras gloriam,
Gentes redemptæ, plaudite.

Par est, alumni, gratias
Honoris illi pendere,
Quæ nos jubet pro fratribus
Nodos subire barbaros.

Sit laus Patri cum Filio,
Qui nos redemit perditos,
Tibique, sancte Spiritus,
Laus sit per omne sæculum.

Amen

In I Nocturno.

Aña. 1. Veni de Libano,
sponsa mea, veni de Libano,
veni.

*Psalm. 8. Domine Dñus. no-
ster... cum reliquis, ut in fest.
B. M. V.*

2. A summo cœlo egressio
ejus, ut non sit qui se abscon-
dat a calore ejus.

Ps. 18. Cœli enarrant.

3. Fundavit eam Altissimus,
super maria fundavit eam, et
super flumina preparavit eam.

Ps. 23. Domini est terra...

R. Tu exurgens misereberis
Sion.

R. Quia tempus miserendi
ejus quia venit tempus.

Lectio I.

De Cantis cantorum. c. 2

Ego flos campi, et lilyum con-
vallium. Sicut lilyum inter
spinæ, sic amica mea inter fi-
lias. Sicut malus inter ligna
silvarum, sic dilectus meus in-
ter filios. Sub umbra illius,
quem desideraveram, sedi: et
fructus ejus dulcis gutturi meo.
Introduxit me in cellam vina-
riam, ordinavit in me charita-
tem. Fuloite me floribus, stip-
ate me malis; quia amore lan-
gueo. Læva ejus sub capite
meo, et dextera illius ample-
xabitur me. En dilectus meus
loquitur mibi: Surge, propera,
amica mea, columba mea, tor-
mosa mea, et veni. Jam enim
hiems transiit, imber abiit et
recessit. Flores apparuerunt in
terra nostra, tempus putatio-
nis advenit: vox turturis au-
dia est in terra nostra: ficus
protulit grossos suos: vineæ
florentes dederunt odorem
suum. Surge, amica mea, spe-
ciosa mea, et veni; columba
mea, in foraminibus petræ, in
caverna maceræ, ostende mihi
faciem tuam, sonet vox tua in
auribus meis: vox enim tua
dulcis et facies tua decora.

R. Introduxit me in cellam
vinariam, ordinavit in me cha-
ritatem. Fulcite me floribus,
stipate me malis: Quia amore
langueo. R. Læva ejus sub ca-
pite meo, et dextera illius
amplexabitur me. * Quia...

Lectio II. c. 4.

TOTA pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cibilibus lecnum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuae, soror mea sponsa! Pulchriora sunt ubera tua vino et odor ungüentorum tuorum super omnia aromata. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloë cum omnibus primis ungüentis. Fons hortorum; pateus aquarum viventium, quæ flunt impetu de Libano.

¶. Favus distillans labia tua sponsa, mel et lac sub lingua tua: * Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. ¶. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. * Et odor.

Lectio III. c. 8.

Quae est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens,

innixa super dilectum suum? Sub arbore malosuscitavite: ibi corrupta est mater tua: ibi violata est genitrix tua. Pone me ut signaculum super cor tuum; ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatione: lampades ejus, lampades ignis atque flamarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Soror nostra parva, et ubera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus: et ubera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu ejus mille argenteos. Vinea mea coram me est. Mille tui pacifici, et ducenti his, qui custodiunt fructus ejus. Quæ habitas in hortis, amici auscultant: fac me audire vocem tuam.

¶. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: * Quia fortis est ut mors dilectio: lampades ejus lampades ignis atque flamarum. ¶. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent

illam. * Quia fortis... Gloria...
* Quia fortis.

In II Nocturno.

Aña. 1. Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris.

Psalm. 44. Eructavit...

2. Ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

Ps. 35. Deus, noster refugium...

3. Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei.

Ps. 86. Fundamenta...

¶. Non fecit taliter omni nationi.

¶. Et iudicia sua non manifestavit eis.

Lectio IV

Quo tempore major felior que Hispaniarum pars diro Saracenorum opprimebatur jugo, innumerique fideles sub immani servitute, maximo cum periculo christiana fidei abjurande, amittendæque salutis æternæ, infeliciter detinebantur, beatissima cœlorum Regina tot tantisque benigniter occurrens malis, nimiam charitatem suam in iis redimendis ostendit. Nam sancto Petro Nolasco pietate et opibus florenti, qui sanctis vacans meditationibus, jugiter animo recogitabat, qua ratione tot Christianorum ærumnis sub Maurorum captivitate de-

gentium succurri posset; ipsa met beatissima Virgo serena fronte se conspiciendam dedit, et acceptissimum sibi ac unigenito suo Filio forte dixit, si suum in honorem institueretur Ordo Religiosorum, quibus cura incumberet captivos e Turcarum tyrannide liberandi. Qua cœlesti visione vir Dei recreatus, mirum est, quo charitatis ardore flagrare cœperit, hoc unum servans in cordesuo; ut ipse ac instituenda ab eo Religio maximam illam charitatem sedulo exercent, ut quisque animam suam poneret pro amicis et proximis suis.

¶. Surge, propera, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. * Jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit. ¶. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit; vox turturis audita est in terra nostra: vineæ florentes dederunt odorem suum. * Jam enim....

Lectio V.

Ea ipsa nocte eadem Virgo sanctissima beato Raymundo Peñafort et Jacobo Aragoniae regi apparuit, id ipsum de Religiosis instituendis admonens suadensque, ut opem pro constructione tanti operis ferrent. Petrus autem statim ad Raymundi pedes, qui ipsi erat a sacris confessionibus, advolans, ei rem omnem aperuit: quem etiam cœlitus instrutum reperit, ejusque directio ne se humillime subjicit. At

superveniens Jacobus rex, quam et ipse acceperat a beatissima Virgine revelationem, exequi statuit. Unde collatis inter se consiliis, et consentientibus animis, in honorem ejusdem Virginis Matris Ordinem instituere aggressi sunt, sub invocatione Sanctæ Mariæ de Mercede redemptoris captivorum.

R. Dilectus meus mihi, et ego illi.* Qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, et inclinentur umbræ. v. Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.* Qui pascitur....

Lectio VI

DIE igitur decima augusti anno Domini millesimo ducentesimo decimo octavo, rex idem Jacobus eam institutionem, jam pridem ab iisdem sanctis viris conceptam, exequi statuit, sodalibus quarto voto adstrictis manendi in pignus sub paganorum potestate, si pro Christianorum liberatione opus fuerit. Quibus Rex ipse arma sua regia in pectore deferre concessit, et a Gregorio non illud tam præcellentis erga proximum charitatis Institutum et Religionem confirmari curavit. Sed et ipse Deus per Virginem Matrem incrementum dedit, ut talis Institutio celerius ac felicius totum per orbem divulgaretur, sanctisque viris floruerit charitate ac pietate insignibus, qui elemosynas à Christi fidelibus collectas in pretium redemptionis

suorum proximorum expendent, seque ipsos interdum darent in redemptionem multorum. Ut autem tanti beneficij et institutionis debitæ Deo et Virgini Matri referantur gratia, Sedes Apostolica hanc peculiarem festivitatem celebrari, et officium recitari indulxit, cum alia fere innumera eidem Ordini privilegia pariter contulisset.

R. Quæ habitas in hortis, amici auscultant: * Fac me audire vocem tuam. v. Surge, amica mea, speciosa mea, et veni: ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, et facies tua decora. * Fac me... Gloria... * Fac me...,

In III Nocturno.

AÑA 1. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.

Ps. 95. Cantate Domino... cantate...

2. Pulchriora sunt ubera tua vino, et odor vestimentorum tuorum super omnia aromata.

Ps. 96. Dominus regnabit, exultet...

3. Hymnum cantemus Domino, hymnum novum cantemus Deo nostro.

Ps. 97. Cantate Domino... quia mirabilia...

v. Memor esto congregations tuæ.

R. Quam possedisti ab initio.

Lectio VII.

Lectio sancti evangelii secundum Joannem.

c. 19.

IN illo tempore: Stabant juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror Matris ejus, Maria Cleophae, et Maria Magdalene. Et reliqua.

Homilia sancti Ambrosii episcopi.

Ex Epist. 82 ad Vercell. Eccles. prop. finem.

MARIA mater Domini ante crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi sanctus Joannes Evangelista. Mundum alii concussus: in passione Domini conscripserunt, cœlum tenebris obductum, rufugisse solem, in paradisum latronem, sed post piam confessionem, receptionem: Joannes docuit, quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus, Matrem appellaverit. Pluris putatur, quod victor suppliciorum, pietatis officia Matri exhibebat, quam quod regnum cœleste dobat. Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia, multo uberioris pietatis est, quod a filio Mater tanto affectu honoratur: Ecce, inquit, filius tuus: Ecce mater tua.

R. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris; * Et flores mei fructus honoris et

honestatis. v. Ego mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.* Et flores...

Bened. Cujus festum... ipsa Virgo virginum...

Lectio VIII.

TESTABATUR de cruce Cirstus, et inter matrem et discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum. Et hoc e j u s testamentum signabat Joannes, dignus tanto Testatore testis. Bonum testamentum non pecunia, sed vitæ æternæ, quod non atramento scriptum est, sed spiritu Dei vivi, qui ait: Lingua mea calamus scriba velociter scribentis. Sed Maria, nec minor quam matrem Christi decebat, fugientibus apostolis, ante crucem stebat, et piis spectabat oculis Filii vulnera, quia expectabat non pignoris mortem, sed mundi salutem: aut fortasse quia cognoverat, per Filii mortem, mundi redemptionem, aula regalis etiam sua morte putabat, se aliquid publico addituram muneri.

R. Beata es, Maria, Dei Genitrix, patrona et auxiliatrix nostra: * Cujus nutu haec tua ad fidelium redemptionem instituta est religio. v. Tua sancta intercessione adjuva nos, Virgo immaculata.* Cujus... Gloria... * Cujus...

Lectio IX.

SED Jesus non egebat adjuto-
nem, qui omnes sine adjutorio
servavit. Unde et dicit: Factus
sum sicut homo sine adjutorio
inter mortuos liber. Suscepit
quidem affectum parentis, sed
non quæsivit alterius auxilium.
Hanc imitamini, matres san-
ctæ, quæ in unico Filio dile-
ctissimotantum maternæ virtutis
exemplum edidit. Nec enim
vos dulciores liberos habetis,
neque illud Virgo quærebat so-
latum, quod alium posset ge-
nerare filium.

Te Deum...

Ad Laudes et per Horas.

Aña. 1. Introduxit me in
cellam vinariam, ordinavit in
me charitatem.

Ps. Dñus. regnavit... cum
reliquis de Dominica.

2. Fulcite me floribus, sti-
pate me malis, quia amore lan-
gueo.

3. Sicut vitta coccinea la-
bia tua, et eloquium tuum
dulce.

4. Fortis est ut mors dilec-
tio; lampades ejus lampades
ignis atque flamarum.

5. Surrexerunt filii ejus, et
beatissimam prædicaverunt, et
laudaverunt eam.

Capitulum. Eccli. 24.

Ego quasi vitis fructificavi
E suavitatem odoris; et flores
mei fructus honoris et hone-
statis. Ego mater pulchræ di-

lectionis, et timoris, et agnitionis,
et sanctæ spei.

Hymnus.

GAUDE, propago candida,
Quam Mater alma Numinis
Perfectionis ultimum
Optare jussit verticem.

Haud ulla major charitas,
Quam pro salute proximi
Vitam suam profundere,
Divina dixit Veritas.

Est morte peior servitus,
Quæ barbaris impenditur;
Istam subire Virginis
Jurata nos cogit fides.

O vera, Christe, charitas,
Incende amore pectora,
Dissolve cordis vincula,
Rumpens catenas tartari.

Da servitutem liberam
Omnes tibi persolvere,
Matrique sacros tuæ
Vitam beatam ducere.

Sit laus Patri cum Filio,
Qui nos redemit perditos:
Tibique, sancte Spiritus,
Laus sit per omne sæculum.

Amen.

V. Magnificavit Dominus
facere nobiscum.

R. Facti sumus lætantes.

Ad Benedictus.

Aña. Salutate Mariam quæ
multum laboravit in vobis, et
dicite: Ave clementæ Mater,
Consolatrix afflictorum, Re-
demptrix captivorum. Tu glo-
ria Jerusalem, tu lætitia Israel,
tu honorificentia populi nostri,
alleluia.

Oratio.

Deus, qui per gloriosissimam
Filii tui Matrem ad libe-
randos Christi fideles a potesta-
te paganorum, nova Ecclesiam
tuam prole amplificare digna-
tus es: præsta quæsumus; ut
quam pie veneramur tanti
operis institutricem, ejus pariter
meritis et intercessione, a
peccatis omnibus et captivita-
te dæmonis liberemur. Per
eundem Dominum...

Ad primam.

In R. brevi dicitur V. Qui
natus es de Maria virgine....
per oct.

Ad Tertiam.

Aña. Fulcite me floribus.

Capitulum. Ego quasi vitis...
ut supra.

R. brev. Tu exurgens * Mi-
sereberis Sion. Tu exurgens...
V. Quia tempus miserendi
ejus, quia venit tempus. * Mi-
sereberis.... Gloria Patri.... Tu
exurgens...

V. Non fecit taliter omni
nationi.

R. Et judicia sua non mani-
festavit eis.

Ad Sextam.

Aña. Sicut vitta coccinea.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me, ut signaculum su-
per cor tuum, ut signaculum
super brachium tuum: quia
fortis est ut mors dilectio, dura-
sicut infernus æmulatio; lam-
pades ejus lampades ignis at-
que flamarum.

R. br. Non fecit taliter

*Omni nationi. Non fecit....
V. Et judicia sua non mani-
festavit eis.* Omni... G'oria...
Non fecit...

V. Memor esto congregatio-
nis tuæ.

R. Quam possedisti ab ini-
tio.

Ad Nonam.

Aña. Surrexerunt.

Capitulum. Cant. 8.

Aqua multæ non potuerunt
extinguere charitatem,
nec flumina obruent illam: si
dederit homo omnem substi-
tantiam domus sue pro dilec-
tione, quasi nihil despiciet
eam.

R. br. Memor esto * Con-
gregationis tuæ. Memor... V.
Quam possedisti ab initio.*
Congregationis tuæ. Gloria....
Memor...

V. Magnificavit Dominus fa-
cere nobiscum.

R. Facti sumus lætantes.

In II Vesperis.

Omnia ut in primis, præter

V. Respice de cœlo, et vide,
et visita vineam istam.

R. Et perfice eam, quam plan-
tavit dextera tua.

Ad Magnificat.

Aña. O Virgo virginum,
quam pulchra es et decora in
deliciis! Tu fons pietatis, hu-
manos miserata questus te con-
spiciendam dedisti, uteducers
vinctos d. tenebris, et umbra
mortis, et vincula eorum dis-
rumperes, alleluia.

Et fit com. seg.

Aña. Flagellis et catena Maria corpus domabat; silentio et abstinentia animum custodiebat: orationibus incessanter instabat, docens Christi sponsas vas corruptibile in sanctificatione et honore possidere.

ꝝ. Specie tua et pulchritudine tua.

R. Intende, prospere procede et regna.

Oratio.

*D*eus, qui nos conspicis in tot periculis constitutos pro nostra fragilitate non posse subsistere: concede propitius; ut, intercedente beata Maria famula tua, de praesentis vita fluctibus educti, ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum...

DOMINICA I OCTOBRI

In solemnitate

SS. RORARII B. M. V.

Duplex 2 classis

In 1 Vesperis

Aña. 1. Quæ est ista, * speciosa sicut columba, quasi rosa plantata super rivos aquarum?

Psal ut in festis B. M. V.

Aña. 2. Virgo potens, * sicut turris David; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.

Aña. 3. Ave, Maria, * gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Aña. 4. Benedixit te Domi-

nus * in virtute sua, quia per te ad nihilum redigit inimicos nostros.

Aña 5. Viderunt eam * filiae Sion vernantem in floribus rosarum, et beatissimam prædicaverunt.

Capitulum. Eccli. 24. 39.

*I*n me gratia omnis via et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis: ego, quasi rosa plantata super rivos aquarum, fructificavi.

Hymnus.

*C*œlestis aulæ Nuntius,
Arcana pandens Numinis,
Plenam salutat gratia
Dei Parentem Virginem.

Virgo propinquam sanguine
Matrem Joannis visitat,
Qui clausus alvo gestiens,
Adesse Christum nuntiat.

Verbum, quod ante sœcula
E mente Patris prodit,
E Matris alvo virginis
Mortalis Infans nascitur.
Templo puellus sistitur,
Legique paret Legifer:
Hic se Redemptor paupere
Prelio redemptus immolat.

Quem jam dolebat perditum
Mox læta Mater invenit
Ignota doctis mentibus
Edisserentem Filium.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum patre et almo Spiritu
In sempiterna sœcula Amen.

Sic terminantur Hymni ad Completorium et ad Horas.

ꝝ. Regina Sacratissimi Rosarii, ora pro nobis,

Ad Magnis. Aña. Beata es, Virgo Maria, Dei Genitrix, quæ credidisti Domino; perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi; intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

Oratio.

*D*eus, cujus Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam nobis salutis æternæ præmia comparavit: concede, quæsumus; ut hæc mysteria sanctissimo beatæ Mariæ virginis Rosario recolentes, et imitemur quod continent, et quod promittunt, assequamur. Per eumdem...

Si hoc Festum alicubi non habeat primas Vespertas, Hymnus Cœlestis aulae. conjungitur cum Hymno In monte olivis. ad Matutinum.

Ad Matutinum.

Invitorium. Solemnitatem Rosarii virginis Mariæ celebremus: * Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Hymnus.
*I*n monte olivis consito
Redemptor orans, procidit,
Mœret, pavescit, deficit,
Sudore manans sanguinis.

A proditore traditus
Raptatur in poenas Deus,
Durisque vincitus nexibus
Flagris cruentis cæditur.

Intexta acutis sentibus
Corona contumelias,
Squalenti amictum purpura
Regem coronat glorie.
Molis crucem ter arduæ,

Sudans, anhelans, concidens,
Ad montis usque verticem
Gestare vi compellitur.

Confixus atro stipite
Inter scelestos innocens,
Orando pro tortoribus
Exsanguis efflat spiritum.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sœcula. Amen.

In I Nocturno.

Aña. Angelus Gabriel* nuntiavit Mariæ: et concepit de Spiritu sancto.

Psalmi trium Nocturnorum
ut in festis B. M. V.

Aña. Intravit Maria* in domum Zachariae, et salutavit E isabéh.

Aña. Peperit Filium* suum primogenitum, et reclinavit eum in præsepio.

ꝝ. Sancta Dei Genitrix
semper Virgo Maria.

R. Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

Lectio I.

De Libro Ecclesiastici.

(Cap. 24.)

*I*n omnibus requiem quæsi vi, et in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Ab initio et ante sœcula creatæ sum, et usque ad futurum sœculum non desi-
II

nam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitude Sanctorum detinuo mea.

R. Sumite psalterium jucundum in insigni die solemnitatis vestræ: * Et exultate Virgini adjutrici nostræ. v. Cantate ei canticum novum: annuntiate inter gentes gloriam ejus. * Et exultate...

Lectio II.
QUASI cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosa in Jericho: quasi oliva speciosa in campus, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrra electa dedi suavitatem odoris: et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vapori habitacionem meam, et quasi balsamum non mixtum odor meus. Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiæ.

R. Vidi speciosam ascendentem desuper rivos aquarum, cuius inestimabilis odor erat nimis: * Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. v. Astigit

Regina a dextris tuis in vistitu deaurato circumdata varietate.
* Et sicut..

Lectio III.

Ego mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctæ spei. In me gratia omnis viæ et veritatis, in me omnis spes vitæ et virtutis. Transite ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini: Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum: memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sient. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

R. Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt: * Et reginæ laudaverunt eam. v. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum et lilia convallium. *Et... Gloria... * Et...

In II Nocturno.

Aña. Cum inducerent* Jesum parentes ejus, ut sisterent eum Domino, Simeon accepit eum in ulnas suas, et benedixit D. um.

Aña. Requiritentes* Jesum parentes ejus, invenerunt illum post triduum in medio doctorum.

Aña. Cœpit contristari, et

factus est sudor ejus in horto, sicut guttae sanguinis.

v. Post partum, Virgo, inviolata permansi.

v. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Lectio IV.

CUM Albigenium hæresis per Tolosatum regionem impie grassaretur, atque altius in dies radices ageret, sanctus Dominicus, qui nuper Prædicatorum Ordinis fundamenta jecerat, ad eam convellendam totus incubuit. Id ut præstaret validius, auxilium beatae Virginis, cuius dignitas illis erroribus impudentissime petebatur, cuique datum est cunctas hæreses interire in universo mundo, enixis precibus imploravit. A qua (ut memorie proditum est) cum monitus esset, ut Rosarium populis prædicaret, velut singulare adversus hæreses ac vitia præsidium; mirum est, quanto mentis fervore et quam felici successu injunctum sibi munus sit executus. Est autem Rosarium certa precantri formula, qua quindecim angelicarum salutationum decades, oratione dominica interjecta, distinguimus, et ad earum singulas totidem nostræ reparationis mysteria pia meditatione recolimus. Ex eo ergo tempore pius hic orandi modus mirabiliter per sanctum Dominicum promulgari augerique cœpit; quem ejusdem institutorem auctoremque fuisse

Summi Pontifices apostolicis litteris passim affirmarunt.

R. Tu gloria Jerusalem, tu letitia Israel, tu honorificentia populi nostri fecisti viriliter: * Quia cunctas hæreses sola interemisti. v. Pulchra es et decora, terribilis ut castrorum acies ordinata. * Quia...

Lectio V.

Innumerabiles porro fructus ex hac tam salutari institutione in christianam rem publican dimanarunt, inter quos victoria illa merito numeratur, quam sanctissimus Pontifex Pius quintus, et ab eo inflammati christiani principes apud Echinadas insulas de Turcarum tyranno potentissimo reportarunt. Nam cum illa ipsa die ea victoria relata sit, qua die sanctissimi Rosarii sodalites per universum orbem consuetas supplicationes peragerent, statutasque preces de more funderent, iis precibus haud immerito refertur accepta. Quod quidem cum etiam Gregorius tertius decimus testatus esset, ut pro tam singulari beneficio beatæ Virginis sub appellatione Rosarii perennes gratiæ ubique terrarum haberentur, in ecclesiis omnibus, in quibus altare Rosarii foret, prima quoque Octobris Dominica Officium ritu duplici majori perpetuo celebrandum indixit: aliique Pontifices Rosarium recitantes, ejusdemque Rosarii sodalitatuus indulgentias pene inumeras concessere.

R. Dextera tua magnificata est in fortitudine, dextera tua confregit inimicos: * Submersi sunt in aquis vehementibus, et operuit eos mare. v. Benedix ite Dominus in virtutesua, quia per te ad nihilum redigit inimicos nostros. * Submersi...

Lectio VI.

CLEMENS vero undecimus animo reputans insignem pariter victoriam anno millesimo septingentesimo decimo sexto in Hungaria regno a Carolo sexto in imperatorem Romanorum electo de innumeris Turcarum copiis relatam, eo die contigisse quo festum Dedicationis sancte Mariae ad Nives celebraretur, atque eodem ferme tempore, quo sanctissimi Rosarii confratres publicam solemne inque supplicationem in alma Urbe ingenti populi concursu magna que religione peragentes, fervidas ad Deum preces pro Turcarum depressione funderent, ac potenter opem Deiparæ Virginis in auxilium Christianorum humiliter implorarent: eam obrem, victoriam illam, nec non liberatam paulo post eorumdem Turcarum obsidione Corcyensem insulam, ejusdem beatæ Virginis patrocinio pie censuit adscribendam. Quamobrem, ut hujus quoque tam insignis beneficii perennis semper et memoria extaret et gratia, sanctissimi Rosarii festum eadem die eodemque ritu ce-

lebrandum ad Ecclesiam universam extendit. Hæc omnia Benedictus decimus tertius in Breviario Romano apponi jussit. Leo autem tertius decimus in turbulentissimis Ecclesiæ temporibus, diuque prementium malorum sæva tempestate, cunctos in Orbe fideles, iteratis Apostolicis Litteris ad Marialis Rosarii, præsentim per Octobrem mensem, frequentiam vehementer incendit, aucto quoque anni festi solemnitatis ritu, additaque Litaniis Lauretanis Reginæ Sacratissimi Rosarii invocatione, et officio de eadem solemnitate proprio Ecclesiæ universæ concesso. Sanctissimam ergo Dei Genitricem cultu hoc eidem gratis simo jugiter veneremur, ut quæ toties Christi fidelibus, Rosarii precibus exorata, terrenos hostes profligare dedit ac perdere, infernos pariter superare concedat.

R. Signum magnum apparuit in cœlo: mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus: * Et in capite ejus corona stellarum duodecim. v. Dabitur capiti tuo augmentum gratiarum, et corona inclita proteget te. * Et... Gloria... * Et...

In III Nocturno.

Aña. Apprehendit * Pilatus Jesum, et flagellavit.

Aña. Milites plectentes * coronam de spinis: imposuerunt super caput ejus.

Aña. Crucis imperium * su-

per humerum ejus: regnavit a ligno Deus.

v. Speciosa facta es et suavis.

In deliciis tuis, sancta Dei Genitrix.

Lectio VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. c. 1.

In illo tempore: Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem despontam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, et nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi abbatis.

Sermo de S. Maria.

Ad commendationem gratiæ sue et ad destructionem humanæ sapientiæ, Deus de femina, sed virgine dignatus est carnem assumere; ut similem simili redderet, contrarium contrario curaret, pestiferam spinam evelleret, peccati chirographum potentissime deleret. Eva spina fuit, Maria rosa extitit. Eva spina vulnerando, Maria rosa omnium affectus mulcendo. Eva spina infigens omnibus mortem, Maria rosa reddens salutiferam omnibus sortem. Maria rosa fuit candida per virginitatem, rubicundam per charitatem. Candida carne, rubicunda mente: candida virtutem sectando, rubicunda vita calcando; candida affectum purificando, rubicunda carnem mortificando; candida

Deum diligendo, rubicunda proximo compatiendo.

R. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris, * Et flores mei fructus honoris et honestatis. v. Ego mater pulchra dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. * Et flores...

Lectio VIII.

In serm. de Aquæductu.

VERBUM caro factum est, et habitat jam in nobis. Habitat in memoria nostra, habitat in cogitatione, quia usque ad ipsam descendit imaginationem. Quonam modo, inquis? Nimirum, jacens in præsepio, in virginali gremio cubans, in monte prædicans, in oratione pernoctans, in cruce pendens in morte pallens, liber inter mortuos et in inferno imperans, seu etiam tertia die resurgens et Apostolis loca clavorum, victoriæ signa demonstrans, novissime coram eis cœli secreta consciens. Quid horum non vere, non pie, non sancte cogitatur? Quidquid horum cogito, Deum cogito, et per omnia est Deus meus. Hæc ego militari dixi sapientiam, et prudentiam judicavi eructare memoriam suavitatis: quoniam in hujuscemodi nucleis virga sacerdotalis copiosa produxit, quam in supernis haueniens, uberioris nobis Maria refudit. In supernis plane et ultra angelos, quæ Verbum ex ipso Patris corde suscepit.

R. Surge, propera, amica

mea: jam enim hyems transiit:
imber abiit et recessit: * Flores
apparuerunt in terra nostra. v.
Dominus dabit benignitatem,
et terra nostra davit fructum
suum. * Flores... Gloria Patri...
* Flores....

Lectio IX. De Hom. Domin.

Ad Laudes.

Aña. 1. Lætare, * Virgo
Mater; surrexit Christus de
sepulchro.

Aña. 2. Ascendit Deus * in
jubilatione, et Dominus in vo-
ce tubæ.

Aña. 3. Spiritus Domini *
replevit orbem terrarum.

Aña. 4. Assumpta est * Ma-
ria in cœlum; gaudent Angeli;
laudantes benedicunt Domi-
num. Alleluia.

Aña. 5. Exaltata est* Virgo
Maria super choros angelorum,
et in capite ejus corona stella-
rum duodecim.

Capitulum ut in I. Vesp.

Hymnus
JAM morte victor obruta
Ab inferis Christus redit,
Fractisque culpæ vinculis,
Cœli recludit limina.

Visus satis mortalibus
Ascendit ad celestia,
Dexteræque Patris assidet
Consors paternæ gloriæ.

Quem jam suis promiserat,
Sanctum datus Spiritum,
Linguis amoris igneis
Mœstis alumnis impluit.

Soluta carnis pondere
Ad astra Virgo tollitur,

Excepta cœli jubilo
Et Angelorum canticis.
Bis sena cingunt sidera
Almæ Parentis verticem:
Throno propinquâ Filii
Cunctis creatis imperat.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sœcula. Amen.

v. Elegit eam Deus, et præ-
elegit eam.

R. Et habitare eam fecit in
tabernaculo suo.

Ad Benedictus. Aña. Sole-
mnitatem hodiernam sanctissi-
mi Rosarii Genitricis Dei Mariae
devote celebremus; ut ipsa pro
nobis intercedat ad Dominum
Iesum Christum.

Oratio.
D EUS, cuius Unigenitus per
vitam, mortem et resurrectio-
nem suam nobis salutis æternæ
praemia comparavit: concede,
quæsumus; ut hæc mysteria
sanctissimo beatae Mariæ vir-
ginis Rosario recolentes, et
imitemur quod continent, et
quod promittunt assequamur.
Per eundem Dominum...

Ad Primam.

R. br. qui natus es.

Ad Tertiam.

Capit. de Laudibus. R. San-
cta Dei Genitrix, * semper
Virgo Maria. Sancta... v. Inter-
cede pro nobis ad Dominum
Deum nostrum. * Semper...
Gloria... Sancta...

v. Post partum, Virgo, invio-
lata perm̄ nsisti.

R. Dei Genitrix, intercede pro
nobis.

Ad Sextam.

Capitulum. Eccli. 30.

F LORETE, flores, quasi lilyum,
et date odorem, et frondete
in gratiam; collaudate canticum,
et benedicite Dominum in ope-
ribus suis.

R. Post p. rtum, Virgo, * In-
violata permanisti. Post par-
tum... v. Dei Genitrix, intercede
de pro nobis. * Inviolata.. Glo-
ria... Post partum...

v. Speciosa facta es et sua-
vis.

R. In deliciis tuis, sancta Dei
Genitrix.

Ad Nonam.

Capitulum. Eccli. 24.

Q UASI cedrus exaltata sum in
Libano, et quasi cypressus
in monte Sion: quasi palma ex-
altata sum in Cades, et quasi
plantatio rosæ in Jericho.

R. Speciosa facta es * Et
suavis. Speciosa... v. In de-
liciis tuis, sancta Dei Genitrix.
Et suavis. Gloria... Speciosa...
v. Elegit eam Deus, et præ-
elegit eam.

R. Et habitare eam fecit in
tabernaculo suo.

In II Vesperis.

Omnia ut in I. præter seg.

Hymnus.

T E gestientem gaudiis,
Te sauciā doloribus,

Te jugi amictam gloria,
O Virgo Mater, pangimus.

Ave, redundans gaudio
Dum concipis, dum visitas,
Et edis, offers, invenis,
Mater beata, Filiū.

Ave, dolens et intimo
In corde agonem, verbera
Spinas, crucemque Filii
Perpessa, princeps martyrum.

Ave, in triumphis Filii,
In ignibus Paracliti,
In regni honore et lumine,
Regina fulgens gloria.

Venite, gentes, carpite
Ex his rosas mysteriis,
Et pulchri amoris inclita
Matri coronas nectite.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sœcula. Amen.

Ad Magnificat. Aña. Beata
Mater * et intacta Virgo, glo-
riora Regina mundi, sentiant
omnes tuum juvamen, quicum-
que celebrant tuam Sanctissimi
Rosarii solemnitatem.

INTER OFFICIA
PROPRIA PRO ALIQUIBUS LOCIS, SEU
IN APPENDICE BRIVARII ROMANI.

Dominica II. Octobris. Ma-
ternitatis B. Mariæ Virg.

Ad Matutinum.

Hymnus.

Cœlo Redemptor prætulit
Felicitis alvum Virginis,
Ubi futura victimæ
Mortale corpus induit, etc.

DIE XXVI. NOVEMBRIS

In festo

S. SILVESTRIS Abbatis

Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter sequentia.

Oratio.

CLEMENTISSIME Deus, qui sanctum Silvestrum Abbatem sæculi hujus vanitatem in aperto tumulo pie meditantem ad ad eremum vocare, et præclaris vitæ meritis decorare dignatus es: te supplices exoramus; ut ejus exemplo terrena despicientes, tui consortio perfrudamur æterno. Per Dominum.

Et, si non transfer., fit Commem. S. P. Alexandrini Episc. Mart. ut in Brevi eadem die.

Lectiones j. Nocturni de Scriptura occurrente.

In secundo nocturno.

Lectio IV.

SILVESTER, Auximi in Piceno nobili genere ortus, statim puerilem ætatem litteris ac bonis moribus mirifice exornavit. Adolescens Bononiam ad studia iuri: prudentiæ missus a patre, cum sacris litteris a Deo monitus deditset operam, parentis incurrit indignationem, quam sequo animo toto decenio pertulit. Ob egregiam ejus virtutem a canonicis cathedralis Auximanæ ecclesiæ socius honoris electus est; in quo munere populo orationibus, exemplo et concionibus opem tulit.

R. Honestum feci illum Dō-

minus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

v. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

Lectio V.

INTER funus nobilis cujusdam defuncti, in aperto tumulo formosi viri suique propinquique deformes cadaver conspiciens: Ego, inquit, sum, quod hic fuit; quod hic est, ego ero. Et mox, peracto funere, illa sibi Domini occurrente sententia: Qui vult veire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me, in solitudinem majoris perfectionis studio secessit, ibique vigiliis, orationibus jejuniisque deditus crudas tantum herbas in cibum sæpius adhibuit. Ut autem magis lateret homines, varias mutavit sedes; ac demum pervenit ad montem Fanum, locum, quamvis prope Fabrianum eo tamen tempore desertum, ibique in honorem sanctissimi patris Benedicti templum erexit, congregationisque Silvestrinorum fundamenta jecit, sub regula et habitu in visione sibi ab eodem Sancto ostensis.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, *Et ad portas paradisi coronavit eum. v. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit. — Et ad portas.

Lectio VI.

AT invidens satanas variis terroribus illius monachos turbare nitebatur, noctu monasterii januas hostiliter invadens. Sed vir Dei hostis impetum ita repressit, ut monachi in sancto instituto magis confirmarentur, ac patris sanctitatem agnoscerent. Spiritu prophetæ aliisque donis enituit. Quæ ut semper profunda humilitate conservavit; ita contra se dæmonis invidiam concitatavit, a quo præceps actus per scalas oratorii, et prope intermedium, præsentissimo Virginis beneficio incolumitati redditus est. Quod beneficium perpetua et singulari in illam pietate commendavit ad ultimum usque vitæ spiritum, quem fere nonagenarius, sanctitate et miraculis clarus, Deo reddidit anno salutis millesimo ducentesimo sexagesimo septimo, sexto Kalendas Decembris. Ejus Officium ac Missam Leo decimus tertius Pontifex maximus ad universam extendit Ecclesiam.

R. Iste homo.

In iii. Nocturno, Homilia. Grandis fiducia. de communi Abbatum j. loco.

Lectio IX de S. Petro Ep. Mart. cuius fit Commem. in Laudibus, ut in Breviario.

DIE XXXI. DECEMBRIS.

In Festo

S. SILVESTRIS,

*Papæ et Conf.**Duplex.**Lectio IV.*

SILVESTER Romanus, patre Rufino, a prima ætate operam dedit Cyrino Presbytero, cuius doctrinam et mores egregie imitatus est. Hic, saeviente persecutione, in Soracte monte latitaverat, et trigesimum annum agens, Presbyter Sanctæ Romanae Ecclesiae a Marcellino Pontifice creatur. Quo in munere cum omni laude clericis aliis antecelleret, in Melchiadis postea locum successit, Imp. ratore Constantino, qui antea pacem Ecclesiae Christi lege publica dederat. Vix Ecclesiae gubernacula tractanda suscepérat, Constantinum, jam crucis signo caelitus illustratum et de hoste Maxentio victorem, ad tuendam propagandam christianam Religionem impense fovit. Quem etiam, ut vetus Ecclesiae Romanae refert traditio, Apostolorum imagines recognoscere fecit, sacro baptisme tinxit, et ab infidelitatis lepra mundavit.

Lectio V.

ITAQUE, auctore Silvestro, pius Imperator quia a m. Christi fidelibus publice templa exstruendi tribuerat facultatem eam exemplo suo confirmavit;

multas enim erexit Basilicas, scilicet Lateranensem Christo Servatori, Vat canam Sancto Petro, Ostiensem Sancto Paulo, Sancto Laurentio in Agro Verano, Sanctæ Crucis in Atrio Sessoriano, Sancto Petro et Marcellino ac sanctæ Agneti in viis Lavicana et Nomentana, et alias, quas sacris imaginibus splendide exornavit, et muneribus prædisisque attributis, magnificentissime locupletavit. Hoc Pontifice habitum est Concilium Nicænum primum, ubi præsidentibus ejus Legatis, præsentemque Constantino, et trecentis decem et octo Episcopis, sancta et Catholica fides explicata est, Ario ejusque sectatoribus condemnatis; quod etiam Concilium, potentibus Patribus, confirmavit in Synodo Romæ habita, ubi iterum Aris condemnatus est. Multa item decreta fecit Ecclesiæ Dei utilia, quæ sub ejus nomine recessentur; idest, ut a solo Episcopo chrisma conficeretur; ut Presbyter chrismate baptizatus summus leniret verticem; ut Diaconi dalmaticis in Ecclesia, et palla linostima ad lœvam uterentur; ut in linea tantum velo sacrificium altaris conficeretur.

Lectio VI.
IDEM præscripsisse traditur tempus omnibus, qui ordinibus initiati essent, exercendi singulos ordines in Ecclesia, antequam quisque ad altiorem gradum ascenderet; ut laicus clericu non inferret crimen; ne clericus apud profanum judicem causam diceret. Sabbati et Dominicæ diei nomine reten o, reliquos hebdomadæ dies feriarum nomine distinctos, ut jam ante in Ecclesia vocari coepérant, appellari voluit, quo significaretur, quotidie clericos, abjecta ceterarum rerum cura, uni Deo prorsus vacare debere. Huic cœlesti prudentiæ, qua Ecclesiam administrabat, insignis vita sanctitas, et benignitas in pauperes perpetuo respondit. Quo in genere providit, ut clericis copiosis égentes conjungeret, et sacris Virginibus quæ ad victim necessaria essent, suppeditarentur. Vixit in Pontificatu annos viginti unum, menses decem, diem unum. Sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria. Fecit Ordinationes septem mense Decembri, quibus creavit Presbyteros quadraginta duos, Diaconos virginis quinque, Episcopos per diversa loca sexaginta quinque.

ADDENDA ET VARIANDA

IN RUBRICIS SPECIALIBUS BREVIARII ROMANI

1. *Ad calcem Feriae II. ad Laudes.*
3. *Dominica infra Octavam Nativitatis.*

Deinde dicitur Oratio propria. Et quando in feriali Officio fiunt Commemorations communis de S. Maria, de S. Joseph, de Apostolis, de Titulo et de Pace, ante eas tam in Laudibus quam in Vesperis fit sequens, etc.

2. *Die 28 Decembris. In Festo Ss. Innocentium Mm.*

Si Festum S. Thomæ venerit in Dominica, tunc in II. Vesperis Ss. Innocentium fit Commemoratio S. Thomæ, deinde Dominicæ (Ant. v. et Oratio ut infra) et postea fiunt commemorationes Octavarum.

Die vero Dominicæ in Officio S. Thomæ legitur ix Lectio de Homilia, et in Laudibus fit Commemoratio Dominicæ ante Commemorationes Octavarum. In II. autem Vesperis S. Thomæ Antiphone et Psalmi de Nativitate ritu duplice, Capit. et reliqua de S. Thoma, cum Commemorationibus Dominicæ et Octavarum.

In II. Vesperis S. Thomæ omnia dicuntur sicut in II. Vesperis diei Nativitatis ritu duplice, Capit. et reliqua de S. Thoma. Deinde fit Commemoratio Dominicæ et quatuor Octavarum.

4. *In die infra Octavam Nativitatis.*

Si dies post Festum S. Thomæ fuerit Sabbathum, Officium fit de Octava Nativitatis hoc modo: In II. Vesperis S. Thomæ omnia dicuntur sicut in II. Vesperis diei Nativitatis ritu duplice: Capit. et reliqua de S. Thoma. Deinde fit Commemoratio Octave Nativitatis et alia Octavarum.

5. *In Epiphania Domini.*

Infra Octavam Epiphania non fit nisi de Duplicibus primæ clasis occurrentibus. Alia Festa novem Lectionum prima die libera post dictam Octavam perpetuo celebrantur. De Festis

verotrium Lectionum fit tantum
Commemoratio juxta Rubricas.
6. In die Octava Epiphaniae.

Si Octava Epiphaniae occurrit in sabbato, secundæ Vesperæ erunt de Ssmo. Nomine Iesu, cum Commemoratione ejusdem diei Octavæ et Dominicæ II. post Epiphaniam tantum. Quando autem Septuagesima, etc.

7. Dominica I. in Quadragesima.

Si hac die et in aliis Dominicis Quadragesimæ, etc.—Tota expungatur.

8. In fine diei Octavæ Ascensionis Domini.

Si vero Feria sexta occurrat Festum novem Lectionum, etiam translatum, fit de Festo cum commem. Officii ejusdem diei, nisi illud Festum fuerit ex solemnioribus primæ classis; tunc enim Commemoratio Feriæ semper omittitur. Si autem fuerit Duplex secundæ classis, fit tantum Commemoratio in secundis Vesperis.

9. Sabbato, in Vigilia Pentecostes.

Ab hac die usque ad Festum Trinitatis inclusive, si occurrat Festum duplex ex majoribus vel alicujus Doctoris Ecclesiæ transfertur post prædictum Festum Trinitatis. De aliis vero Duplicitibus, de Semiduplicibus ac de Simplicibus fit tantum Commemoratio sine ix. Lectione

(nisi sit Vigilia Pentecostes, in qua dicitur) excepto triduo Pentecostes.

10. Dominica Pentecostes.

Sintra Octavam Pentecostes, etc.—Expungatur integra.

11. Ante Festum Corporis Christi, seu, ad calcem Rubricæ post Feriam IV. infra Hebdomadam I. post Octav. Pentecostes.

Die vero Octava non fit nisi de Duplice primæ classis cum Commemoratione ejusdem diei Octavæ; et II. Vesperæ dicuntur sine ulla Commemoratione.

12. Ad calcem diei 10. Decembris. Tertia die infra Octavam Immaculatae Conceptionis B. Mariae V.

Vesp. de sequ. cum Commemoratione Octavæ et Feriæ.

13. Ad calcem diei 11. Decembris. S. Damasi I. Papæ Conf.

In II. Vesp. Ant. Dum esset. y. Iustum. Comm. Oct. et Feriæ.

14. Ad calcem diei 13 Decembris. In Festo S. Luciae Virg. et Mart.

Quando Festum S. Luciae incidit in Dom. III Adventus. etc.—Integra expungatur.

15. Die 14. Decembris. Septima die infra Octavam Immaculatae Conceptionis B. M. V.

Statim addatur:

Si hodie faciendum sit de aliquo Duplici minori translato alicujus Doctoris Ecclesiæ, in ejus secundis Vesperis o m n i a dicuntur de die Octava ut in primis Vesperis Festi, cum Commemoratione præcedentis et Feriæ, nisi haec dies Octava occurrit in Dominica, tunc enim Vesperæ fiunt de Duplice translato cum Commemoratiobibus Dominicæ et diei Octavæ.

16. Dominica H. post Epiphaniam. In Festo Ssmi. Nomini Jesu. Duplex 2. classis.

Occurrente Dominica Septuagesima reponitur hoc Festum in die 28. Januarii, tamquam in sede propria (translato quocumque alio Festo, si alicubi occurrat et transferri valeat nisi sit altioris ritus, aut aequalis sed primarium) et tunc legitur nona Lectio de S. Agneta secundo, et fit de ea Commemoratio in Laudibus tantum. De Festo Duplici minori, etc.

17. Die 15. Januarii. S. Pauli primi Eremitae, Conf. Post Orationem Intercessio nos, etc.

Si Festum S. Pauli alia die alicubi celebretur, aut si de S. Mauro fiat tantum Commemoratio in Laudibus, non variantur Ant. et yv., sed dicuntur ut in Comuni.

18. Die 5. Februarii. S. Aga-

thae Virg. et Mart. Duplex

In I. Vesp. quando dicuntur integræ, Ant. erunt Quis es tu, cum reliquis de Laudibus. Psalmi. **Dixit Dominus** cum reliquis ut in I. Vesp. de Comuni Apost. Capit. de Laudibus.

19. Die 6. Februarii. Ad calcem Officii S. Titi Episc. Conf.

Si hoc Festum alicubi alia die celebretur (extra Quadragesimam), et in illa non occurrat, etc.

20. Die 8. Martii. Ad calcem Officii S. Joannis de Deo Conf.

In Quadragesima ix. Lectio de Homilia Feriæ occurrentis et Commem. in Laudibus.

Si hoc Festum occurrat ante Feriam IV. Cinerum, vel alicubi celebretur post Pascha, neque occurrat cum eo Festum Simplex habens Lectionem propriam, nona Lectio erit: **Si ergo diligere, utin eadem Dominicæ XVII. post Pentecosten.**

Vesp. a Capit. de sequ. cum Commem. præcedentis et Feriæ.

21. Die 19. Martii. S. Joseph, Sponsi B. Mariae Virginis, Conf. Duplex I. classis.

Si hoc Festum occurrit in Dominica Passionis, transferendum erit in Feriam secundam immediate sequentem: et quoties inciderit in Majorem Hebdomadam, reponendum erit

in Feria quarta post Dominicam
in Albis tamquam in sede pro-
pria.

In I. Vesperis

Ant. i. Jacob autem, etc.

22. Die 25. Martii. In An-
nuntiatione B. Marie Vir-
ginis, Duplex primae clasis.

Si hoc Festum venerit Feria
VI. in Parasceve vel Sabbato
Sancto, transferendum erit in
Feriam II. post Dominicam in
Albis tamquam in sedem pro-
pria, integra cum solemnitate
ac feriatione et sine Octava,
servato tamen ritu Paschali. Si
vero occurrerit in Dominica
Passionis transferatur in Fe-
riam II. immediate sequentem:
quod si incidat in Hebdoma-
dam Majorem vel Paschalem,
ad enuntiatam Feriam II. post
Dominicam in Albis amande-
tur, ac non nisi Festo primario
ejusdem ritus occurrente valeat
impediri, quo in casu in sequen-
tem diem similiter non impedi-
tam transferatur.

23. Feria VI. Post Dominicam
Passionis. Septem Dolorum
B. Mariae Virginis. Duplex
majus.

Quando Festum Septem Dol-
orum B. M. V. hac Feria
celebrari nequit ob occursum
alicujus Festi altioris ritus,
aut æqualis sed primarii, vel
potioris dignitatis, transferen-
dum est in Sabbathum imme-
diata sequens, simili modo non
impeditum. Quod si neque in

dicto Sabbato celebrari potue-
rit, eo anno omittatur.

Si omissitudine sint primæ
Vesperæ, etc.

24. Die 17. Maii. S. Paschalis
Baylon Conf. Duplex. Ad
calcem vi. Lectionis.

Alexander autem octavus san-
ctorum catalogo adscripsit: tan-
dem Leo decimus tertius pecu-
liarem cœtum eucharistico-
rum, item societatum omnium,
sive quæ hactenus institutæ, sive
quæ in posterum futuræ sunt
Patronum cœlestem declaravit
et constituit.

25. Die 18. Maii. S. Venantii
Mart. Duplex.

Omnia de Communi unius
Mart. præter sequ.

Si hoc Festum in utrisque Ve-
speris habeat solam Commemo-
rationem, tunc hymnus ad pri-
mas Vespertas conjungitur cum
hymno ad Matutinum, cum
conclusione **Sit laus Patri.** Si
vero integras habeat tantum se-
cundas Vespertas, tunc hymnus
Martyr Dei. dicitur ad Matuti-
num, **Athleta Christi.** ad Lau-
des, hymnus **Dum nocte.** dicitur
in secundis Vespertas. Alias di-
catur uti **infia** inscribitur.

In I. Vesperis.

Hymnus.

Martyr Dei Venantius, e'c.

26. Die 19. Maii. S. Petri Cœ-
lestini Papæ Conf. Post

ix. Lectionem pro S. Puden-
tiana.

Si hoc Festum alicubi alia
die celebretur, et in illa non
occurrat Festum simplex habens
Lectionem propriam, Lectio
ix. erit: **Et Paulus.** de Commu-
ni Apostolorum 2. loco, ut su-
pra.

27. Die 27. Junii. Quarta die
infra Octavam Nativitatis
S. Joannis. Post ix. Lectio-
nem.

Vesperæ de sequ. cum Com-
mem. Oct. S. Joannis.

28. Ante diem 30. Junii.

Si Commemoratio S. Pauli
venerit in die Octava Corporis
Christi extra propriam eccles-
iam, transferetur *juxta Rubri-
cas*, in primam diem liberam,
ac totum Officium sit ut in pro-
pria ecclesia.

Die 30 Junii.

In Commem. S. Pauli Apost.
Duplex majus.

29. Dominica I. Julii. Prelio-
sissimi Sanguinis D. N. J.
C. Duplex. 2. classis.

Si hodie occurrat Festum
Visitationis B. M. V., vel aliud
Festum altioris ritus, aut æ-
qualis sed primarium, de Prelio-
sissimo Sanguine fiet prima
die, etc.

30. Die 5. Julii. S. Antonii

Mariae Zaccaria Conf. Du-
plex. Ad calcem Officii.

Vesp. de sequenti. Commem.
præcedentis.

31. Die 6. Julii. In Octava Ss.
Petri et Pauli Apost Post
Ant. ad Magnificat. in II.
Vesp.

Et fit Commem. sequentis.

32. Die 7. Julii. Ss. Cyrilli et
Methodii Pont. et Conf. Duplex.
Ad Laudes, post
Orationem Omnipotens sem-
piterne Deus. etc.

In II. Vesperis.

Hymn. et v. ut in I. Vesp.
Ad Magnif. Ant. Isti sunt,
viri sancti, facti amici Dei, di-
vinæ veritatis præcoio glorio-
si: linguae eorum claves coeli
factæ sunt.

Oratio ut supra. Deinde fit
Commem. sequentis.

33. Die 2. Augusti. S. Alphon-
si Mariae de Ligorio Episc.
Conf. et Eccl. Doct. Duplex.
Post ix. Lect. pro S. Stephano
I. Papa Mart.

Si hoc Festum alicubi alia
die celebretur, et in ea non oc-
currat Simplex habens Lectio-
nem propriam, ix. Lectio erit:
Hinc namque. de Communi
Evangelistarum.

34. Die 8. Septembri. In Offi-
cio Nativitatis B. Mariae

Virginis, ad Laudes post Orationem Famulis tuis.

Deinde fit Comm. S. Hadriani Mart. hoc loco tantum etc.
Oratio

Praesta quæsumus, omnipotens Deus: ut qui beati Hadriani Martyris tui, etc.

35. Dominica III. Septembbris. Septem Dolorum B. Mariae Virginis. Duplex majus.

Impedita Dominica III. Septembbris ob occursum Festi Duplicis 1. vel 2. classis, vel alij diei Octavae, vel Duplicis majoris primarii, vel potioris dignitatis, Festum Septem Dolorum B. M. V. transfertur in proximiorem sequentem Dominicam, simili modo non impeditam. Quod si usque ad Adventum, etc.

36. Die 16. Septembbris. S. Cornelii Papæ et Cypriani Episc., Martyrum. Semiduplex. Post Orationem pro Ss. Euphemia, Lucia et Geminiano Mm.

Si Festum Ss. Cornelii et Cypriani occurrerit in Dominica, fit Officium de Festo Septem Dolorum B. M. V., cum ix. Lectione de Homilia et Commemoratione Dominicæ, ac Ss. Martyrum Pontificum in utrisque Vesperis et Laudibus, necnon Ss. Euphemiae, Luciae et Geminiani Mm. in I. Vesp. et Laud. tantum.

In I. Nocturno Lectiones, etc.

37. Die 17. Septembbris. Ad calcem Officii Impressionis Sacrorum Stigmatum in Corpore S. Francisci Conf.

Vesp. de sequenti, cum Commem. præcedentis.

38. Dominica I. Octobris. In Solemnitate Ssmi. Rosarii B. M. V. Duplex 2. classis. Vide pag. 81.

In I. Vesperis.

Ant. 1. Quae est ista, etc.

39. Die 8. Novembbris. In Octava Omnium Sanctorum. Post Rubricam de Laudibus.

Vesp. de sequenti, cum Commem. præcedentis, ac S. Theodori Mart.

40. Die 9. Novembbris. In Dedicatione Archibasilicæ Ss. Salvatoris. Duplex majus. Post Rubricam de Laudibus.

In II. Vesp. Commem. sequentis, ac Ss. Mm. Tryphonis et Ss. iorum.

41. Die 18. Novembbris. In Dedicatione Basilicarum Ss. Apostolorum Petri et Pauli. Duplex majus. Post. Lectio- nem ix.

In II. Vesp. Commem. sequentis, ac S. Pontiani Papæ, Mart. Vide pag. 87.

ALIAE ADDITIONES AD VI. LECTIONES

In festis Ss. Joannis de Deo et Camilli de Lellis, Confessorum.

In festo S. Vincentii à Paulo Conf.

Et Leo decimus tertius, ex sacrorum catholici orbis Antistitum voto ac Rituum Congregationis consulto, cœlestem omnium hospitalium et infirmorum ubique degentium Patronum declaravit, ipsiusque nomen in agonizantium Litaniis invocari præcepit.

Hunc autem divinæ charitatis exiniuum heroëm de unoquoque hominum genere optime meritum, Leo tertiusdecimus, instantibus pluribus Sacrorum Antistitibus, omnium societatum charitatis in toto catholico orbe existentium, et ab eo quodocumque promanantium, peculiarem apud Deum Patronum declaravit et constituit.

URBIS ET ORBIS

Quum per generale Decretum super primariis et secundariis Festis iusserit Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. ad illius normam Rubricas Breviarii et Missalis Romani esse interpretandas, Decretaque in contrarium facientia penitus abroganda; factum est, ut plura Sacrorum Rituum Congregationi proposita fuerint resolvenda dubia, quibus per alia subsequentia Decreta idem Sacrum Tribunal satisfacere officii sui duxit.

His autem quum alia quoque, controversias exortas penitus evelendi causa, accessissent recentiora Decreta pro quarumdam tam Breviarii quam Missalis Rubricarum authenticā interpretatione; Emus. ac Rmus. Dñus. Cardinalis Caietanus Aloisi-Masella, tunc Sacrorum Rituum Congregationi Præfector, Summi Pontificis proposito inhærens, ut inter latas Decretorum leges Rubricarumque præscriptions maxima extaret conformitas, munus concredidit Commissioni Liturgicæ præfatas revisendi examinandique Rubricas, easque ad recentiorum Decretorum normam concinnandi.

Opus vero ab ipsa Commissione absolutum, prouti in superiori extat exemplari, quum idem Emus. ac Rmus. Dñus. Card. Aloisi-Masella Relator in Ordinariis Rituum Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis proposuisset; Emi. ac Rmi. Patres Sacris tuendis Ritibus præpositi, omnibus mature perpensis, Rubricas sic emendatas approbari posse censuerunt. Die 7 Decembris 1897.

Quam sententiam deinde per infrascriptum Cardinalem Sacro eidem Cœtui Præfectum Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII. relatam, Sanctitas Sua ratam habuit, ac suprema Auctoritate Sua confirmavit: simulque præcepit,

99

ut suprascriptae variationes, hoc Decreto approbatae, in novis editionibus Breviarii et Missalis Romani, servatis de caetero servandis, inserantur. Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali mentione dignis. Die 11, iisdem mense et anno.

CAMILLUS Card. MAZZELLA, *S. R. C. Praefectus.*

L. ✠ S.

DIOMEDES PANICI, *S. R. C. Secretarius.*

Præsens exemplar authenticum concordat cum Originali approbato. In fidem, etc.

Ex Secretaria Sacròr. Rituum Congregationis die 7 Ianuarii 1898.


DIOMEDES PANICI, *Secretarius.*

Emendanda

Pag. 27, colum. 1, lin. penult. *Pro: celabat, lege: colebat*
 » 31, » 2, » 6, » universarum » universorum
 » 42, » 1, » 5, *post rectoribus adde sive ex mo-*
numentis,
 » 43, » 1, » 2, *pro credidi lege credidisti,*
 » 47, » 2, » 13 *infra; post incredula de adjice ora-*
culo, nec quasi incerta de
 » 50, » 2, » 16 *infra; pro antiquior lege antiquior*
 » 51, » 2, » 18 *infra; » lætere » lætere*
 » 55, » 2, » 7, *post nostri adde Hinc filiis Psalmista*
ait:
 » 57, » 2, » ult. » nullum » ne
 » 60, » 2, » 7 *infra; pro ergo vulnus spirituale lege*
ergo vulnus, vulae spirituale
 » 63, » 2, » 2, *pro invenisse lege invexisse*
 » 68, » 1, » 3 *infra; » divitium » divitium*
 » 71, » 2, » 22, *delenda quia repetita.*
 » 75, » 2, » 5, *pro forte lege fore*
 » 80, » 2, » in fine *adde R. Ut digni efficiamur etc.*
 » 88, » 1, » 17, *pro perfrudamur lege perfruamur*
 » 90, » 1, » 7, » *Sancto » Sanctis*

INDEX.

	PAG.
16 <i>Januarii. S. Marcelli P. et Mr.</i>	9
<i>Dominica III p. Epiphani. Sanctæ Familiae Jesu, Mariæ</i>	
<i>et Joseph.</i>	
11 <i>Februarii. Ss. Septem Fundatorum Ord. Serv. B. M. V.</i>	10
6 <i>Martii. S. Ollegarii E. C.</i>	18
7 » <i>S. Thomæ C. D.</i>	22
24 » <i>B. Didaci Josephi à Gadibus C.</i>	24
27 » <i>S. Joannis Damasceni C. D.</i>	26
28 » <i>S. Joannis Capistrano C.</i>	29
6 <i>Aprilis. B. Julianæ Leodiensis V.</i>	32
26 » <i>Ss. Cleti et Marcellini Pp. et Mm..</i>	36
<i>Dom. p. 25 Aprilis. B. M. V. de Monte-Serrato.</i>	37
8 <i>Maj. Festum in honor. Smæ. Trinitat. ob Conversionem</i>	
<i>Gothorum.</i>	38
10 » <i>B. Joannis de Avila C.</i>	48
22 » <i>Ss. Torquati et Sociorum Ee. et Mm.</i>	53
23 » <i>S. Joannis Bapt. de Rossi C.</i>	55
28 » <i>S. Augustini Cantuariensis E. et C.</i>	57
<i>Feria 6 p. Oct. Corp. Chr. In f. SS. Cordis Jesu.</i>	59
20 <i>Junii. S. Silverii P. M.</i>	60
5 <i>Julii. S. Antonii Mariæ Zaccaria C.</i>	61
11 » <i>S. Pii I P. M.</i>	61
19 <i>Augusti. S. Magini Tarragonensis M.</i>	65
9 <i>Septembbris. S. Petri Claver C.</i>	65
11 » <i>Ss. Proti et Hyacinthi Mm.</i>	68
24 » <i>B. M. V. de Mercede.</i>	71
<i>Dom. I Octobris. SS. Rosarii B. M. V.</i>	71
<i>Dom. II Octobris. Maternitatis B. M. V.</i>	80
26 <i>Novembbris. S. Silvestri Ab.</i>	87
31 <i>Decembbris. S. Silvestri P. C.</i>	88
<i>Addenda et varianda in Rubricis Specialibus Breviarii.</i>	89
<i>Aliæ additiones ad VI. Lectiones.</i>	91
<i>Decretum generale..</i>	92



(arrejado), como el sarmiento (inutil y estéril), y se secará (destituido de jugo vital como leña para el fuego), y lo recogerán (con los reprobos en haces), y lo meterán en el fuego (en los abismos del infierno).

de las delicias de aquél suelo cor
sarmiento con su uva, que llev
hombres en un palo. Los que ap
historia al sentido de la

